

Pantheon

[Page 107]

Pantheon

INCIPIT LIBER GOTIFREDI MAGISTRI VITERBIENSIS

QUI PANTHEON INTITULATUR.

Quicumque vult breviter et perfecte totum istum librum cognoscere, legat ante omnia capitula ista, que per triginta tres particulas sunt distincta. Igitur a prima particula incipiamus.

Codices C. D.

Incipiunt capitula prime particule a prima rerum visibilium et invisibilium creatione usque ad Adam.

Capitulum primum. Invocatio ad Deum, qui est principium omnium rerum.

De divina essentia ante omnem creationem et de mundo archetipo.

Item de mundo archetipo versifice.

Determinatio temporum et quia res faciunt tempora et quia Deus est ante tempora.

De trinitate et unitate in Deo secundum fidem catholicam.

Item de tribus personis versifice.

Exemplum trinitatis et similitudo de sole.

Item similitudo de tribus virtutibus anime in trinitate.

Item similitudo de filio triplicato in trinitate.

Similitudo de igne in trinitate.

Item similitudo de gladio in trinitate.

Item simile de verbo in trinitate.

Item simile de nomine in trinitate.

De creatione et ordinibus angelorum et de diabolo et de animabus sanctorum.

Item de angelis versifice dictum.

De anima hominis quomodo fit celum Dei.

Quomodo carnalis homo fit similis Deo.

Quod interior homo noster est dignior angelo in sui creatione.

De eodem secundum Ysayam.

De operibus sex dierum.

De astris secundum librum ierarchiam sancti

Clementis pape et Dyonisi Ariopagite.

De sole et aliis planetis.

De massa yle, ex qua omnis creatura corporea facta est a lunari circulo inferius.

Codices E.

Particula I.

(1) De divina essencia.

(2) De mundo archetipo et de fide catholica secundum Athanasium et de tribus personis in Deo.

(3) De multis ac diversis questionibus Orosii ad Augustinum super omnibus capitulis supra memoratis.

Particula

II.

(1) De angelis et de diabolo et de animabus sanctorum et de multis et diversis questionibus et solutionibus inde factis inter Orosium et Augustinum.

Particula III.

(1) De celis et de planetis et de stellis et natura et motu earum secundum phylosophos, et principaliter secundum Clementem papam.

(2) De eneo firmamento, quod separat inferiores aquas a superioribus.

(3) De operibus sex dierum.

[Page 108]

Codices C. D.

De diversitate celorum.
De eneo firmamento, quod separat superiores
aquas ab inferioribus.
De ethereo celo, in quo sunt sydera.
Quod substantia solis est octies maior quam
terra.
Quod sol in prima creatione sua septies splendidior
erat quam nunc et propter casum primi hominis
sex partes sui splendoris amisit.
Quod sol omnia vivificat, auget et nutrit.
Quod stelle sentiunt et habent quando volunt
alium motum.
Quod sydera naturali cibo suo vescuntur quodammodo.
/*

De superioribus celis secundum Platonem.
De distinctione elementorum, et primum de igne.
De distinctione aeris ab igne.
De distinctione aque ab aere.
De distinctione terre ab aquis.
De actione et commixtione elementorum.
De quatuor humoribus corporum.
De ethemologia elementorum.
Quod elementa sunt sensibilia, licet propter infectionem
suam sentiri perfecte non possunt.
Quod elementa non sunt infecta per unionem,
set per adjunctionem, sicut aqua coniuncta est vino
et non unita, unde etiam separari possunt.
Simile de lacte, in quo est caseus et butyrum
et aqua, non tamen unita, set adjuncta, quia possunt
ab invicem separari.
Item simile de campana, cuius metalla possunt
artificio separari, sicut lapis a cemento.
Quod res unita separari non potest.
Quod elementa componentia non remanent in
compositis ut elementa, set desinunt esse elementa
et fiunt aliud quid.
Auctoritas philosophorum super hec.
Quod generatio fit ex rebus elementatis per
corruptionem et alterationem.
[Dixit Deus]: Producat terra omnem animam
viventem in genere suo.
De dissimilitudine avium et aliorum animantium,
que creata sunt.
[Dixit Deus]: Producant aque pisces in genere
suo.
Sententia Iosephi de paradiso.
Item de paradiso versifice.
Quod paradysus non sensit diluvium neque
ullam corruptionem.
De paradiso celesti, in quo sunt angeli ante
Deum.
Queritur: Quis potuit scire et narrare illa que
erant secundum sententiam quorundam ante hominis
creationem? Sententia Eusebii contraria priori.
Quare Deus permittit hominem puniri factum
similem sibi.
Et dixit Deus: Fiat lux.
Questio, si homo est dignior angelo, quare dicitur:
Minorasti eum paulo minus ab angelis.
Codices E.
(4) De sole et luna et stellis et planetis omnibus.
(5) De ordine et distinctione celorum.
(6) De massa yle, de qua omnis creatura corporea
facta est a lunari circulo inferius.
(7) De ethereo celo quod videmus, in quo sunt
sydera.
(8) Quod substantia solis est octies maior quam
terra.
(9) Quod sol in prima creatione sui septies fuit
splendidior quam nunc, set propter casum hominis
obscuratus est.
(10) Quod sol omnia vivificat et crescere facit.
(11) Quod stelle sentiunt et habent voluntarium
motum.
(12) Quod sydera naturali cibo suo vescuntur.

- Particula IIII. De elementis secundum phylosophos.
- (1) Sentencia Constantini Africani [et Atali filii Abas discipuli Abimehec] et Stephani Antioceni.
 - (2) De quatuor humoribus qui dicuntur filii elementorum.
 - (3) Quod elementa simpla sint, unde corporea fiunt.
 - (4) Simile de aqua mixta cum vino, que non tamen unita est vino, quia possunt iterum separari, res vero unite perfecte separari non possunt.
 - (5) Simile de lacte, in quo sunt tria, caseus, aqua et butirum, set non sunt unita, quia possunt separari.
 - (6) Simile de diversis metallis in campana, que possunt separari.
 - (7) Quod aliqua unita non possunt perfecte separari.
 - (8) Quod non ex elementis fit procreatio, sed ex elementatis, putredine hoc faciente.
 - (9) Producat terra omnem animam viventem in genere suo, dixit Deus.
 - (10) Producant aque pisces in genere suo, dixit Deus.[Page 109]

Codices C. D.

Incipit secunda particula.

De creatione primi hominis. De anima hominis. Formavit Deus hominem de limo terre et inspiravit in faciem eius spiraculum vite in animam viventem.

Disputatio philosophorum, quid sit homo et quid sit anima, et quid sit intellectus.

De differentia inter animam et intellectum.

Hic proponit auctor de anima sententias philosophorum diversas.

Plato dixit, hominem non esse utrumque, animam scilicet et corpus, set dixit, animam corpore tali utentem, quod auctor hic suo sensu exponit.

Sententia Hebreorum de homine.

Quod Deus animalia alia propter alia creavit.

Disputatio philosophorum diversa de anima.

Democritus et omnis secta stoicorum dicit, animam esse corpus; set auctor Godefridus ait contra et destruit sententiam illorum.

Stoici etiam inter se discordantes dicunt, animam esse spiritum calidum et inflammantem; set auctor contradicit.

Criciaus dicit, animam esse sanguinem; set auctor contradicit.

Ypon philosophus dicit, animam esse aquam; set auctor contradicit.

Eraclitus dicit, animam esse vaporem totius ex humidis; set auctor contradicit.

Democritus dicit, animam esse ignem; set auctor contradicit.

Quidam dicunt, animam esse incorpoream et immortalem, alii dicunt incorpoream set non immortalem; set auctor contradicit.

Pythagoras ait, animam esse numerum moventem se ipsum; set auctor contradicit.

Plato dicit, animam esse intelligibilem substantiam se ipsam moventem secundum numerum convenientem; set auctor contradicit.

Aristotiles dicit, animam esse expletum corporis; set auctor contradicit. Dinarcus dicit, animam esse armoniam 4 elementorum; set auctor contradicit.

Aristotiles item et Dinarcus dicunt, animam non esse substantiam; set auctor contradicit.

Alii dicunt, multas esse animas set differentes specie; set auctor contradicit. Quidam alii dicunt, omnium hominum unam esse animam, diversam tamen per singula; set auctor contradicit.

Alii dicunt, multas esse animas, set differentes specie; auctor contradicit.

Alii dicunt, unam et multas; set auctor ad unum quemque supradictorum respondeat suis argumentis.

Alii dicunt, animam ex anima procreari; set auctor contradicit.

Auctor in ultimo ponit catholicam sententiam de anima secundum fidem christianorum.

Codices E.

Particula V. De anima hominis diversas sentencias habens multorum philosophorum.

(1) Sentencia Platonis de anima.

(2) De dignitate hominis quanta sit.

(3) Sentencia Ebreorum de homine.

(4) De passionibus hominis.

(5) De natura angelorum et hominum.

(6) Quia Deus alia propter alia creavit.

(7) Item de anima secundum Alfanum Salernitanum.

(8)

Sentencia Tullii philosophi de anima.

(9) Sentencia Platonis de anima.

(10) Sentencia Aristotilis de anima.

(11) Sentencia Dinarci de anima.

(12) Item Aristotiles de anima.

(13) Contra illos qui dicunt, animam esse corpus.

(14) Sentencia stoicorum de anima; set actor contra.

(15) Quidam dicunt, animam esse sanguinem; set actor contra.

(16) Quidam dicunt, animam esse aquam; set actor contra.

(17) Alii dicunt, animam esse corpus; set actor contra.

(18) Crisippus dicit, animam non esse incorpoream; set actor contra.

(19) Dinarcus dicit, animam esse armoniam; set actor contra.

(20) Galienus dicit, animam esse crisim, id est temperantiam corporis; set actor contra.

(21) Aristotiles dicit, animam esse explementum; set actor contra.

(22) Pythagoras dicit, animam esse numerum se ipsum moventem; set actor contra.

(23) Eunomius dicit, animam substanciam incorpoream in corpore conditam; set actor contra.

(24) Apollenarius dicit, animam de anima gigni; set actor contra.

(25) Manichei dicunt, omnium hominum animam esse unam; set actor contra.

(26) Plato dicit, unam animam esse et multas; set actor contra.

(27) Cronius dicit, animas transire de corpore in corpus; set actor contra.

(28) Theodorus Platonicus dicit, animas esse omnes species; set actor contra.

(29) Porfirius de anima dicit similiter.

(30) Iamblicus est contrarius Porfirio in sentencia anime.

(31) Augustinus ponit questionem, utrum anima sit de preiacente materia, aut si sit de essentia Dei, ut quidam heretici dixerunt. Cui respondit Augustinus, non de Deo set a Deo ex nichilo factam esse animam.

(32) Auctoritas Alfani Salernitani archiepiscopi et philosophi de unione anime et corporis quomodo fit, et actor cum eo.[Page 110]

Codices C. D.

De unione anime et corporis.

Sententia auctoris de unione anime et corporis.

Nomina omnium interiorum membrorum humani corporis propriis nominibus eodem titulo distinguit.

Denominatio auctorum qui in hoc recipiuntur libro tam Latini quam Greci, Ebrei et barbari.

Quod propter hominem mundus factus est.

Quod Adam de terra rubea formatus est.

Quod humanum corpus dicitur microcosmos, id

est minor mundus.

Quod Adam non in puerili forma, sed in virili
creatus est extra paradysum.

Quod Eva in paradysu formata est.

Item de creatione Eve versifice.

[Dixit Deus:] De ligno scientie boni et mali
ne comedas.

Qualiter diabolus per serpentem deceperit hominem.

Prevaricatio

Eve per suggestionem serpentis.

Videte, ne comedat de ligno vite et vivat in
eternum.

Queritur, quare Deus dedit Ade cibum transitorium,
cum Adam esset immortalis, si non peccasset.

[Dixit Deus:] Adam ubi es? Audivi vocem

tuam, Domine, et timui.

Maledictio Domini ad Evam.

Maledictio Domini ad serpentem.

Queritur, quare Dominus propter solum pomum
eiecerit Adam de paradysu.

Queritur, qualem vitam duxerit Adam extra
paradysum.

Adam dedit nomina omnibus animalibus.

De nativitate Cain et Abel.

Abel optulit agnum acceptabilem Domino, Cain
vero paleam repudiatam.

Adam ploravit Abel annis 100, et vovit filios
amplius non procreare.

Cum esset Adam 130 annorum, occisus est Abel.

Ubi est Abel frater tuus? dicit Dominus.

[Dixit Deus:] Qui occiderit Cain, septuplum
punitur: allegoria est hec, quam auctor exponit.

Item de Cain versifice.

Cain primus construxit urbem nomine filii sui Enos.

Septem proienies Cain in diluvio perierunt, unde
videtur allegorice septuplam penam portasse.

Septuaginta proienies Lamec in diluvio perierunt.

Unde Lamec punitus est septuages septies.

Quis primum in mundo adinvenit tentorium
vel tabernaculum.

Quis primus adinvenit cantum et organum.

Quis primus fabricavit in ere et in ferro.

Verba actoris sub compendio.

Inutilia in hoc loco esse pretermittenda, dicit
actor.

Qua de causa Deus dedit diluvium super terram.

De generatione gigantum ante diluvium.

Prefatio auctoris de Enoc et de Elia.

Codices E.

(33) Sentencia Alfani de unione verbi Dei cum
homine, et actor cum eo.

Alfanus de quatuor humoribus corporis, et actor
cum eo.

Sentencia Aristotilis dicentis, fieri corpora et
membra animalium de solo sanguine; set actor
contra.

Particula VI. De Adam, qualiter et ubi
formatus sit de terra rubea secundum Iosephum,
et ab Adam usque ad Noe diverse
sententie et questiones ponentur.

(1) In qua forma factus est homo.

(2) Sententia Lacidarii de hominis formatione,
ad similitudinem maioris mundi factam esse.

(3) Quod Eva creata est in paradiso de latere
hominis.

(4) Sententia Iosephi de paradiso.

(5) De qualitate paradisi versifice.

(6) Quod diluvium non tetigit neque lesit paradisum.

(7)

Qualiter Eva formata est de costa Ade.

(8) Dicit Dominus: De ligno scientie boni et
mali ne comedas.

(9) Qualiter diabolus deceperit hominem per
serpentem.

(10) Quod Adam et Eva manserunt in paradiso

per 7 horas tantum.

(11) Qualiter Eva prevaricata est per pomi comestionem.

(12)

Dixit Deus: Videte, ne comedat de ligno

vite et vivat in eternum. (13) Dixit Deus: Adam ubi es? et maledixit eum.

(14) Maledictio Domini super Evam post transgressionem.

(15)

Maledictio Domini super serpentem post
deceptionem.

(16) In hoc loco ponuntur multe et diverse
questiones de Adam et de Eva secundum Orosium
et Augustinum.

(17) Post electionem de paradiso ubi habitaverit
Adam et ubi et quando nati sunt Cayn et Abel.

(18) Quod Abel centum erat annorum quando
occisus est.

(19) Quod Adam cum Eva deflevit mortem Abel
100 annis et vovit tunc pro tristitia filios amplius
non generare, set angelus precepit ei frangere
votum.

(20) Qualem vitam duxit Adam extra paradisum.

(21) Quod Adam imposuit nomina omnibus animalibus
terre et aquae.

(22) De urbe quam edificavit Cayn et vocavit
eam Enos nomine filii sui.

(23) Quod Cayn posuit pondera et mensuras
rebus.

(24) Quod Adam vixerat 130 annos ante mortem
Abel.

(25) Dixit Deus ad Cayn: Ubi est frater tuus?[Page 111]

Codices C. D.

De Enoc, qui translatus est in paradisum.

De Enoc et Elia, ubi et quomodo vivant.

Historia de Enoc et Elia.

Finis huius sermonis de Elia et Enoc.

Incipit de Noe capitulum.

Quod solus Noe inventus est iustus in diebus
suis.

Item de Noe et de arca.

De barbaris istoriarum auctoribus, qui erant
ante tempora Moysi.

Quod arca Noe resedit super montem Armenie
secundum Moysen. Secundum Egyptios ystoriografos
vero extra arcam multi sunt salvati in monte
Parisio in Armenia.

Erigit Noe altare Domino.

Dixit Deus: Ponam arcum meum in nubibus
celi.

De tribus figuris et coloribus et significationibus
in arcu pluviali.

Explicit secunda particula libri Panteon.

Incipiunt capitula tertie particule.

De subputatione annorum et etatum ab Adam
usque ad Noe.

De qualitate et conversatione filiorum Noe.

De generationibus Cham.

De generationibus Iaffet.

De generationibus Sem.

Quam partem orbis terre tenuit quilibet filiorum
Noe.

De Nembrot primo rege in mundo.

De divisione linguarum et unde dicantur Hebrei.

De Nino rege et de Samiramide regina et de

Belo, patre Nini.

De Cham, filio Noe, qui erat rex in tempore
Nini.

De Trebeta, filio Nini, qui edificavit Treverim.

De altero Nino, filio Nini nato ex Samiramide.

Codices

E.
(26) Dixit Deus: Qui occiderit Cayn, septuplum
puniatur, et qui occiderit Lamec, septuagies septies.

(27) De his verbis ponit hic actor allegoriam
versifice.

- (28) De primo tentorio, primo venatore et primo piscatore.
 (29) De primo cantore et primo organo.
 (30) De primo fabro ferrario et erario.
 (31) De causa quare factum est diluvium a Domino.
 (32) De gigantibus, qui erant ante diluvium.
 (33) Conmemoracio de Enoc et Helya, ubi et quando vivunt.
- Particula VII. A Noe usque ad Abraham.
- (1) De tempore et inmanitate diluvii et de fine eius.
 (2) De barbaris actoribus ystoriarum et cronicorum, et qualia tempora a tempore diluvii et deinceps in mundo apparuerunt.
 (3) Hic incipiunt multe et diverse questiones de diluvio secundum Orosium et Augustinum.
 (4) Erigit Noe altare Domino. Unde et recepit divinum responsum.
 (5) Dixit Deus: Ponam arcum meum in nubibus celi.
 (6) De tribus figuris in arcu pluviali apparentibus allegoria.
 (7) Quod a Noe usque ad Abraam sunt 10 generaciones.
 (8)
 De diversis gentibus que orte sunt post diluvium. Et qui processerunt de Iafeth et de filiis suis.
 (9) Qui venerunt de Cham et de filiis suis.
 (10) Qui venerunt de Sem et de filiis suis.
 (11) Quod generacio Sem tenuit Asiam, et generacio Cham tenuit Africam, et generacio Iafeth tenet Europam.
 (12) Determinacio annorum et patrum a Noe usque ad Nembroth primum regem huius mundi.
 (13) Descriptio regis primi Nembroth, qui hedificavit Babiloniam.
 (14) Sentencia Iosephi de vita et qualitate Nembroth.
 (15)
 Sentencia Eusebii de vita et conversacione hominum illius temporis.
 (16) De 8 filiis regis primi Nembroth in Babilone.
 (17)
 De rege primo Assiriorum post Nembroth nomine Belo, patre Nini.
 (18) Qualis fuerit Ninus rex et uxor sua Semiramis.
 (19)
 Quod Ninus expulit Cham, filium Noe, a regno suo.[Page 112]

Codices C. D.
 Particula quarta ab Abraham usque ad Moysen.
 De nativitate Abrahe particula IIII. libri Pantheon magistri Gotifredi Viterbiensis.
 Item de nativitate Abrahe versifice dicitur.
 Dixit Dominus ad Abraham: Ego sum Deus qui eduxit te de Hur Chaldeorum.
 Abraham transiit de Chaldea in terram Chanaan.
 De Lot, nepote Abraham, filio Aram.
 Abraham peregrinatur in Egypto cum Saray.
 Item de peregrinatione Abrahe versifice.
 Loth dividit pastores suos a pastoribus Ahrahe et habitat in Sodomis supra lordanem.
 De rege et sacerdote Domini Melchisedech.
 De Ysmaele, filio ancille Agar.
 Non vocaberis Abram, sed Abraham, dicit Dominus.
 Incipit
 circumcisio prima in Abraham.
 Loquitur Dominus cum Abraham de futura subversione Sodome et Gomorre.
 Hoc tempore Sodoma et Gomorra subvertuntur a Domino.
 Abraham timens ruinam Sodomorum iterum peregrinatur in Egypto.
 Item de nativitate Ysaac versifice.

Ismael cum matre sua eicitur in desertum cum

utre aqua pleno et panibus.

Cronica contemporanea de Iano primo rege

Italie et de Celio rege Cretensium, patre Saturni.

Codices E.

(20) De Trebeta, filio Nini, quem Semiramis
noverca eius expulit a regno paterno, qui edificavit
postea Treverim civitatem magnam in Gallia
supra fluvium Mosellam.

(21) De altero Nino, quem genuit Samiramis,
uxor Nini.

Particula VIII.

(1) De nativitate Abrae.

(2) Hic posita est annorum supputacio a Noe
usque ad Abraam.

(3) Dixit Dominus: Ego sum Deus qui eduxi
te de Hur Chaldeorum.

(4) De transitu Abrae de Chaldea in terram
Chanaan.

(5) De Loth, nepote Abrae, filio Aran.

(6) Abraam peregrinatur in Egypto cum Saray
uxore sua.

(7) Loth dividit pastores suos a pastoribus Abrae.

(8) Capitur Loth ab Elamitis, set liberat eum
Abraam.

(9) De rege et sacerdote Domini Melchisedech,
qui dicitur fuisse Sem filius Noe et vixit 535 annis.

(10) De Hismaele, filio ancille Agar.

(11) Non vocaberis Abram, sed Abraam, dicit
Dominus.

(15) Incipit circumcisio prima in Abraam et Ysaac.

(16) Loquitur Dominus cum Abraam de futura
subversione Sodome et Gomorre.

(17) Hoc tempore Sodoma et Gomorra subvertuntur
a Domino.

(18) Abraam timens ruinam Sodomorum iterum
peregrinatur in Egypto.

(19) De nativitate Ysaac, filii Abrae.

(20) Hismael cum matre sua Agar eicitur in
desertum.

(21) De morte Sare, uxoris Abrae.

(22) Abraam dicit secundam uxorem nomine
Cethuram.

(23) De Iano primo rege Ytalie et de Celio
rege Cretensium, patre Saturni.

(24) Temptavit Deus Abraam, ut immolaret ei filium suum Ysaac.

(25) De coniugio Rebecce et Ysaac.

(26) De morte Habrae.

(27) Ysaac peregrinatur in Egypto cum Rebecca.

(28) Incipit nunc regnum Argivorum.

(29) Concepit Rebecca geminos in utero colluctantes.

(30) De nativitate Iacob et Esau.

(31) Esau vendit primogenita Iacob.

(32) Iacob subripit benedictionem Esau.

(33) De regibus Ytalie et Grecie per idem tempus.

(34) Denotacio regum et regnorum sub tempore Iacob per totum orbem.

(35) Iacob fugit a facie fratris sui Esau.

(36) Cronica illius temporis de Minerva et de diluvio in Grecia tunc facto.

(37) Iacob accipit uxores Rachelem et Liam, filias Laban, avunculi sui.

(38) Laban promittit dare Iacob pro mercede sua omnes oves varias.

(39) Iacob ponit varias virgas in canalibus ovium bibentium, ut inde oves varie generentur.[Page 113]

(40) Iacob fugit a facie socii sui cum uxoribus et filiis et cum gregibus suis.

(41) Iacob fugit, et Laban persequitur eum.

(42) Quare primum ydolum in mundo et quo tempore fuit.

(43) Iacob luctatur cum angelo supra ripam Iordanis.

(44) Iacob pacificatur cum fratre suo Esau.

(45) Dina, filia Iacob, opprimitur a filio regis Evei.

(46) Capitulum de lob, qui natus est ex filiis Esau, fratris Iacob, in Mesopotamia Syrie.

(47) De morte Ysaac.

(48) Cronica sub eo tempore quo Ioseph venditus in Egiptum.

(49) De love, filio Saturni, rege Atheniensium.

(50) Ioseph venditur in Egiptum.

(51) Ioseph venditur in Egiptum Futifar eunicho Pharaonis.

(52) Ioseph mittitur in carcerem Pharaonis.

- (53) Ioseph interpretatur sompnia Pharaonis et fit princeps totius Egipti.
- (54) Fratres Ioseph descendunt in Egiptum, ut emant frumentum.
- (55) Ioseph occultat se ipsum fratibus suis presente Beniamin.
- (56) Ioseph manifestat se fratibus suis.
- (57) Nunciatur Iacob, quia Ioseph, filius eius, vivit.
- (58) Iacob consuluit Dominum, an pergere expediat ei in Egiptum ad Ioseph.
- (59) Iacob intrat in Egiptum in 70 animabus.
- (60) Ioseph vendit alimenta Egiptiis.
- (61) Item de fame Egipti post quartum annum.
- (62) Cronica sub eodem tempore de aliis gentibus.
- (63) De morte Iacob in Egipto.
- (64) Item de eodem cronica librorum gentilium.
- (65) Cronica eiusdem temporis de rege Cecrope, qui primus deo lovi bovem inmolavit et primus lovi aram erexit tanquam deo.

Particula IX.

- (1) De nativitate Moysi in Egypto.
- (2) Moyses accepit Ethiopissam uxorem, filiam regis in Nadaber civitate Ethiopie.
- (3) Moyses revertitur de Ethiopia in Egiptum. (4) Moyses interfecit virum Egiptium et fugit in Madian.
- (5) Moyses accepit uxorem filiam Iethro sacerdotis Madian nomine Sephoran.
- (6) Cronica sub tempore Moysi, unde orta est gens Persarum et quomodo.
- (7) Prima apparitio Domini ad Moysen in rubo ardente.
- (8) Moyses et Aaron annunciant filiis Israel, apparuisse Dominum in rubo et venisse.
- (9) Prima plaga Egipti.
- (10) Secunda plaga Egipti.
- (11) Tercia plaga Egipti.
- (12) Quarta plaga Egipti.
- (13) Quinta plaga Egipti.
- (14) Sexta plaga Egipti.
- (15) Septima plaga Egipti.
- (16) Octava plaga Egipti.
- (17) Nona plaga Egipti.
- (18) Decima plaga Egipti.
- (19) Allegoria de pascha Domini et de agno asso secundum verba auctoris.
- (20) Omne primogenitum Egipti occiditur ab angelo percutiente.
- (21) Pharao dimittit Israel ab Egipto.
- (22) Quot annis permansit Israel in Egipto.[Page 114]

- (23) Cronica illius temporis de rege Ytalie Pico et de Danao rege Grecorum et de prima fico et de primo caule et de prima oliva et de aliis rebus mirabilibus.
- (24) Egreditur Israel de Egipto duce Moyse.
- (25) Armatus egressus est Israel de Egipto.
- (26) Pharao persequitur Israhelem in curribus et equis.
- (27) Israel transit mare rubrum sicco pede.
- (28) Submergitur Pharao in eodem mari rubro.
- (29) De aqua Amaren in deserto, ubi filii Israel castra metati sunt primo loco in deserto.
- (30) Israel castra metatur in Elim, ubi sunt 12 fontes et 70 palme.
- (31) De coturnicibus et manna de celo super Israel.
- (32) Cuius coloris vel forme fuerat manna et cuius saporis.
- (33) Percussit Moyses in silicem, et egressa est aqua in Rafidin.

Particula X.

- (1) Lex Domini datur Moysi in monte Synay, anno ab Adam 4005, a diluvio 1265, anno a divisione linguarum 1164, anno ab imperio Nini regis Assiriorum 900.
- (2) De constructione tabernaculi Domini per Moysen.
- (3) Filii Levi portant mensam Domini et arcum.
- (4) Filii Gersen portant columpnas et bases et capitella et claves.
- (5) Precepit Dominus, a castris eici omne quod est inmundum.
- (6) Murmuravit populus, et multi ex eis ab igne vorati sunt.
- (7) Maria, soror Moysi, leprosa facta est propter invidiam.
- (8) Nausiantibus eis manna venit coturnix.
- (9) Iosue pugnabat cum Amalech, et Moyses orabat.
- (10) Quod a tempore Iosue Troia cepit edificari.
- (11) Moyses mittit speculatorum ad expugnandam terram.
- (12) Aperta est terra et deglutivit Dathan et Abiron cum 150 senioribus sequacibus eorum et uxoribus et filiis omnique substancia eorum.
- (13) Murmuravit populus, et percussit a celo Dominus 14700.
- (14) Virga Aaron floruit et protulit frondes et nuces in tabernaculo coram Domino.
- (15) Filii Levi portant vasa tabernaculi et cortinas et accipiunt decimas et dant de suis decimis decimas.
- (16) Murmurante populo in deserto Sin, dedit eis Moyses aquam de petra.
- (17) Murmurante populo, multi ex eis a serpentibus devorati sunt.
- (18) Asina locuta est ad Balaam prophetam.

Particula XI.

- (1) De morte Moysi et de Iosue duce populi Israel.
- (2) De Iosue, filio Nave, successore Moysi.
- (3) Iosue transit Iordanem sicco pede et omnis Israel cum eo.
- (4) Venit timor Ebreorum in omnem terram.

- (5) Iosue circumcidit populum post transitum Iordanis.
- (6) Dicit ad Dominum Iosue: Noster es an adversariorum?
- (7) Raab meretrix salvat exploratores filiorum Israel.
- (8) Arca Domini circumducitur, et cadunt muri Iericho.
- (9) Iosue suspendit regem Egi in prelio.
- (10) Terror Ebreeorum venit in omnem terram.
- (11) Gabaonite veniunt ad Iosue et decipiunt eum.
- (12) Sol stetit ad Gabaon, dum Iosue pugnaret.
- (13) Ista sunt nomina regnum que insurgunt contra Iosue.
- (14) Iosue moritur et sepelitur in monte Effraym.
- (15) Incipit liber Iudicum post mortem Iosue usque ad Samuelem prophetam, qui unxit Saul primum regem Israel.[Page 115]

- (16) Reliquid Dominus 5 satrapas Filistinorum, ut experiretur in eis Israel.
- (17) Cronica in diebus Iosue de primis litteris Grecis 16, quas Catinus adinvenit. Tunc eciam Apollo primam citharam fecit et artem medicinalem invenit, et de prima arte musica et prima theologia.
- (18) Othoniel iudicat Israel et eripit eos de servitute Syrie.
- (19) Israel servit regi Eglon Moabite per 12 annos propter peccata sua.
- (20) Aot anbidexter iudicat Israel et liberat eos de servitute Moab.
- (21) Sangar iudicat Israel et liberat a servitute, ubi 500 viros uno vomere interfecit.
- (22) Debora mulier propheta iudicat Israel, cum esset in servitute regis Iabin et ducis eius Sisaram.
- (23) Cronica de primis regibus Ytalie et de regno Laurento, quod hodie dicitur terra Sabinorum circa Romam, ubi est hodie civitas deserta nomine Laurentum.
- (24) Sisaram dux regis Iabin vinctus fugit ad hostium tabernaculi Domini sub pallio femine absconsus, que transfixit eum per tempora cum clavo ferreo, et ibidem mortuus est.
- (25) Traditur populus in servitatem Madian, et liberat eum Dominus per Gedeonem.
- (26) Abimelech, filius Gedeonis, iudicat Israel.
- (27) De eodem Abimelech, filio Gedeonis spurio.
- (28) Cronica illius temporis de rege Trojanorum Laomedonta et de aureo vellere et de Minotauro et de Agamennone rege Grecorum et de rege Ytalie Latino et unde dicitur Tuscia.
- (29) Traditur populus in servitatem Amon, quem tandem liberat iudex eius Iethro.
- (30) Abesam fit iudex in Israel.
- (31) Angela iudicat Israel.
- (32) Abdon iudicat Israel.
- (33) Cronica sub tempore Sansonis et Herculis de raptu Elene et Troie destructione regnante Latino in Ytalia.
- (34) Sanson et Hercules sunt coetanei nunc.
- (35) Sanson iudicat Israel et liberat eum a servitute Philistinorum.
- (36) Cronica sub tempore Sansonis, de Ypocrete et aliis quibusdam.
- (37) Cronica, quo tempore cessat imperium Assyriorum.

Particula XII.

- (1) De Eli sacerdote Domini in Sylo et de origine Samuelis.
- (2) Prima apparicio Domini ad Samuelem prophetam.
- (3) De plaga Philistinorum, que venit in populum Domini tempore Eli sacerdotis et filiorum eius Ophni et Finees, quando arca Domini capta fuit.
- (4) De plaga Philistinorum, qui tenebant arcum Domini captivam, et de casu Dagon.
- (5) Populus Israel petit regem a Domino per Samuelem.
- (6) Samuel prenuntiat populo omnia iura regis futuri.
- (7) De exaltatione Saul primi regis Ebreeorum per Samuelem prophetam.
- (8) Placuerunt omnia populo que dixit Samuel de rege futuro.
- (9) Saul eligitur in regem Israel.
- (10) Saul eligit sibi de populo tria milia virorum.
- (11) Ionathas facit assultum in Philisteos solus cum armigero suo.
- (12) Philistei veniunt super Israel cum exercitu magno, et Ionathas solus invadit eos cum armigero suo et vincit.
- (13) Precepit Dominus Saul, ut occidat regem Amalech et omnem gentem suam et omnia pecora sua.
- (14) Saul proicitur a facie Domini, quia mandatis eius non obedivit.
- (15) Samuel occidit regem Amalech propria manu sua.
- (16) Capitulum de prima unctione pueri David per Samuelem, regnante Saul in Israel.[Page 116]

- (17) Exercitus Philistinorum cum Golia stat contra Israel pugnaturus.
- (18) Prevaluit David in Philisteum in funda et lapide.
- (19) Cronica sub tempore David de Ulyce et de Diomede et de aliis mirabilibus testante Augustino.
- (20) Iratus Saul dixit: Michi mille dederunt et filio Ysay dederunt decem milia.
- (21) David fugit a facie Saul in montana.
- (22) David abscondit oram clamidis Saul in antro.
- (23) David ingressus nocte tentorium regis Saul, tulit inde scipum argenteum et lanceam regis.
- (24) De Nabal et Abigail in deserto Carmeli.
- (25) David habitat in Sicelech urbe regis Achis Philistei.
- (26) De morte Samuelis in Rama.
- (27) Saul et Ionathas et omnes fortis Israel interierunt in monte Gelboe.
- (28) Philistei respuerunt auxilium David in bello, quia suspectus est eis in monte Gelboe.
- (29) Armiger, qui nunciavit David se occidisse Saul, occiditur tanquam malefactor.

Particula XIII.

- (1) De exaltatione David in Ebron.
- (2) Isbosheth, filius Saul, occiditur in dolo a servis suis.
- (3) David tenet monarchiam in Ierusalem.
- (4) David deducit arcam Domini.
- (5) Hec sunt regna que subiugavit David.
- (6) Absalon invadit regnum patris sui David.
- (7) Esbimenoth gigas occiditur in bello a David.
- (8) Sunamitis datur David in subsidium senectutis sue.
- (9) De morte et sepultura David in Bethleem.
- (10) Eneas intrat Ytaliam cum Ascanio filio suo in tempore mortis David.
- (11) Eneas occidit Turnum regem Tuscorum, sponsum Lavinie, et tollit uxorem.
- (12) De exaltatione Salomonis in regnum Israel.
- (13) De prima edificatione templi Salomonis.

Particula XIV.

- (1) De exaltatione regis Salomonis.
- (2) Iudicium Salomonis inter duas meretrices de infante.
- (3) De victima Salomonis et de responsis Domini ad eum.
- (4) De vita et ordine curie Salomonis.
- (5) De templi Domini constitutione per Salomonem.
- (6) De ordine et dispositione palacii Salomonis capitulum.
- (7) De arca federis, qualiter primum introducta est in templum Domini.
- (8) Eneas moritur, et filius eius Ascanius regnat pro eo, et edificat civitatem Albam, in diebus Roboam filii Salomonis.
- (9) Cronica sub tempore Postumi regis Albanensis, et de fine imperii Assyriorum sub Sardanapallo ultimo rege eorum, qui primam culcitram adinvenit.
- (10) Denominatio omnium regum Assyriorum et finis eorum per idem tempus.
- (11) De Priamo iuniore et de Antenore, qui postea vocati sunt Sicambri et postea Germani et postea Franci, per idem tempus.
- (12) Regnum Israel dividitur inter Roboam, filium Salomonis, et Ieroboam, servum eius.
- (13) Verba populi ad regem Roboam.
- (14) Verbum Domini ad Roboam regem Iuda.
- (15) Cronica de imperio Assyriorum et Medorum et de rege Postumo, filio Enee, in Ytalia.
- (16) Denominatio omnium regum Medorum et finis imperii eorum.
- (17) Abias, filius Roboam, erigitur in regnum Iude.
- (18) In diebus regis Asa regnabat in Ytalia Eneas Silvius rex Albanorum.[Page 117]

- (19) De Asa rege Iuda in Ierusalem.
- (20) De Latino Silvio rege Albanorum contemporaneo.
- (21) De Zambri, qui occidit dominum suum Asa, et de rege Ambri, qui interficit eundem Zambri.
- (22) In diebus Ambri regnabat Alba Silvius in Latio et in urbe Albanorum.
- (23) De Aab rege Israel, cuius tempore fuit Elias.
- (24) Cronica sub tempore Elie.
- (25) De Egipto Silvio rege Albanorum contemporaneo.
- (26) De Iosaphat rege Iuda.
- (27) De Ochozia rege Israel contemporaneo.
- (28) Helias et Heliseus transeunt Iordanem sicco pede et spiritus Elie duplex fit in Heliseo.
- (29) Helias defertur in celum in curru igneo, vidente Heliseo et aliis multis.
- (30) De Tyberio rege Albanorum contemporaneo et de Sicambris per idem tempus.
- (31) Naaman Syrus et leprosus curatur ab Heliseo.
- (32) Heliseus facit natare securim ferream super aquas.
- (33) Heliseus per medios hostes transit illesus.
- (34) Sammaria obsessa et nimia fame compressa mane per Heliseum tantam habet habundantiam, quod modius simile datus est pro denario 1.
- (35) De Agrippa rege Albanorum contemporaneo et de Sicambris.
- (36) De Iehu rege Israel contemporaneo ordinato per Heliseum ad puniendos reges qui ydola adorabant.
- (37) Ios regnat in Israel his temporibus.
- (38) Asael rex Syrie affligit Israel his diebus.
- (39) De morte Elisei prophete.
- (40) Cronica, Sicambrini inpugnant Baguariam per idem tempus.
- (41) De Salmanasar rege Assyriorum, qui captivavit Ebreos.
- (42) Habitatores Babilonis missi in Samariam devorantur a serpentibus et ursis et leonibus.
- (43) De Aventino rege Albanorum contemporaneo et de Sicambris.
- (44) Senacherip, filius Salmanasar, captivavit Ebreos.
- (45) Incipit ystoria Tobie in tempore Salmanasar et Senacherip, filii eius.
- (46) Cronica de Sicambris.
- (47) De Procace rege Albanorum et de Sicambris per idem tempus.
- (48) De Ysaia propheta per idem tempus.
- (49) Regi Ezechie additi sunt 15 anni ad vitam.
- (50) Explorator Nabuchodonosor regis Babilonis venit Ierusalem.
- (51) De Manasse rege Iudeorum per idem tempus.
- (52) De Amon rege Iude, filio Manasse.
- (53) De Iosia rege Iude, filio Amon.
- (54) De Iohaz rege Iudeorum contemporaneo, filio Iosie.
- (55) Cronica Sicambrorum et regum Albanorum.

(56) De loachim rege Iudeorum.

(57) Sibilla prophetizat de Christo his temporibus, et Roma incipit construi in monte Palatino, adhuc vivente patre Romuli Numitore.

(58) Explicit Sibilla. Incipit Roma.

Particula XV.

(1) In diebus transmigrationis Babilonie incipit Roma prius vocata Valencia, princeps principum et domina dominantium.[Page 118]

(2) De ethimologia huius nominis Nabuchodonosor.

(3) Nabuchodonosor rex Babilonis expoliat et captivat Iudeam et ponit ibi regem pro se nomine Sedechiam genere Iudeum.

(4) Nabuchodonosor destruit Ierusalem et templum Domini et deportat thesaurum et omnem populum Iudeorum in transmigratione Babilonis.

(5) De Nabuzardan principe cocorum.

(6) De tribus pueris, Anania, Azaria, Misael, et de puerio Daniele consocio eorum.

(7) Visio Nabuchodonosor regis Babilonie interpretata per Danielem.

(8) De aurea statua Nabuchodonosor et de tribus pueris in fornace projectis.

(9) Secunda visio Nabuchodonosor de arbore pertingente usque ad celum et de interpretatione Danielis.

(10) In capite anni apparuit visionis effectus, cum rex factus est brutus.

(11) De Susanna a falso crimine liberata.

(12) De Eulmeradap rege Babilonis, filio Nabuchodonosor.

(13) Eulmeradap timet, ne pater suus iterum resurgat a mortuis.

(14) De Baltasar rege Babilonie, filio Eulmeradap.

(15) Cronica illius temporis sub Baltasar rege Babilonis.

(16) De Numa Pompilio, filio Romuli, rege Romanorum secundo.

(17) Visio Baltasar regis Babilonis de manu scribente in pariete interprete Daniele propheta.

(18) Daniel mittitur in lacum leonum sub Dario rege Medorum et Babilonum, avunculo Cyri.

(19) De Babilonia magna, qualis et quanta fuerit et quomodo capta sub Cyro rege Persarum.

(20) Cyrus rex Persarum et Medorum succedit avunculo suo Dario in imperium.

(21) Daniel destruxit Baal et draconem interfecit.

(22) Daniel iterum mittitur in lacum leonum sub Cyro rege, ubi portat ei prandium Abacuch propheta.

(23) De Sardanapallo ultimo rege Assyriorum, qui primam culcitram adinvenit.

(24) Tomira regina Amazonum interfecit Cyrum.

(25) De origine Suevorum et natura eorum et de actibus eorum et Senonum Gallorum.

(26) Senones Galli et Suevi intrant Ytaliam.

(27) Ystoria de Brenno duce Suevorum et Senonum Gallorum per idem tempus. (28) De aureo ansere, quem Romani coluerunt annis 400, per idem tempus.

(29) Brennius edificat Mediolanum, Veronam et Papiam et Brixiam et Senogalliam et urbem Senam in Tuscia.

(30) Brenno vincitur a Romanis apud Senas in Tuscia.

(31) Trecento matrone et 82 preparant venenum dare maritis suis per idem tempus.

(32) Brenno et Senones Galli transeunt in Greciam cum 200 milibus armatorum.

(33) De Cambise, filia Ciri regis Persarum.

(34) Capitulum de Mergo puer, fratre Cambisis, post mortem Cambisis. (35) De Dario rege Persarum, filio Istapis.

(36) De Tullio Hostilio tertio rege Romanorum contemporaneo.

Particula XVI.

(1) De restaurazione templi et de regibus Persarum usque ad Alexandrum Magnum et de Sibilla, de rege Persarum Dario, filio Istapis, qui templum Domini restauravit.

(2) Principes Damasci nituntur Dario regi persuadere, ut non edificet templum et Ierusalem.

(3) Capitulum de rege Persarum Xerse, filio Darii filii Istapis.

(4) De Esdra et Iosepho sub eodem tempore.

(5) De Artabano rege Persarum.

(6) De Anco Marco rege Romanorum quarto sub eodem tempore.

(7) Item de Esdra, qualiter libros Ebraicos a Chaldeis perustos reparavit et novos litterarum apices informavit.

(8) De Artaxerse rege Persarum qui dicebatur Longimanus.[Page 119]

(9) Quo tempore philosophi esse ceperunt, et 7 artes ceperunt inveniri.

(10) De Servio rege Romanorum sexto.

(11) De Tarquinio Prisco rege Romanorum quinto per idem tempus.

(12) De Tarquinio rege Romanorum sexto.

(13) Proemium super librum Hester et de Cambyses, filio Cyri, qui est quadrinomius.

(14) Incipit liber Hester sub eodem tempore.

(15) Liber Iudith.

(16) Capitulum de Iudith et de Oloferne, duce regis Nabuchodonosor, qui alio titulo vocatur Cambises.

(17) De Artaxerxes rege Persarum qui cognominatur Occus.

(18) Mortuo rege Assuero, succedit Artaxerxes Occus in imperio Persarum.

(19) De Philippo rege Macedonum, patre Alexandri, per idem tempus.

(20) De Arsamo rege Persarum, patre Darii, quem postea Alexander devicit.

(21) Sicambri eodem tempore Iermaniam occupaverant, unde extunc Iermani sunt appellati.

(22) De Dario rege Persarum, quem Alexander devicit.

(23) Quod Iermani et Romani a Troia venerunt et quasi pares et confratres sunt estimandi secundum sententiam autoris.

(24) De omnibus Sibillis et nominibus earum et de patria et origine et actibus ipsarum a diebus

Alexandri Magni.

Particula XVII.

- (1) Principium ystorie Magni Alexandri, filii Phylippi Macedonis, usque ad Machabeos et reges Antiochos inserendo Romanas ystorias sibi contemporaneas et ystoriā Appolonii Tyri.
- (2) Nomina omnium regum Persarum et finis eorum.
- (3) Auctor de eodem reddit rationem secundum Augustinum, quare montes translati sunt, simul utrum per preces Alexandri vel alio Dei iudicio.
- (4) Epistola Alexandri Magni Macedonis ad Aristotilem magistrum suum de omnibus que ipse fecit et vidit.
- (5) De Goc et Magoc, quos Alexander inter montes similiter conclusit.
- (6) Disputationes inter Alexandrum et regem Bragmanorum Dindinum nomine.
- (7) Responsio Dindini regis Bragmanorum.
- (8) Responsio Alexandri ad regem Bragmanorum per diversas epistolas hinc inde transmissas sicut in corpore huius libri continetur.
- (9) Quod Alexandro locuta est arbor solis et lune et predixerunt eius mortem. (I0) Ystoria Romana mortuo Alexandro.

Particula XVIII.

- (1) Qualiter regnum Alexandri divisum est in 12 partes post mortem eius.
- (2) De primo Tholomeo Sother, qui Alexandro successit.
- (3) Cronica ipsius temporis de Appio, qui fecit viam Appiam Rome, et de aliis.
- (4) Istis temporibus incipit bellum inter Romanos et Pirrum regem Epirotarum.
- (5) De secundo rege Tholomeo Filadelpho per idem tempus in Egipto post Alexandrum, et de septuaginta interpretibus Iudeorum.
- (6) Ystoria gentis Saxonie, qualiter venit de Macedonia post mortem Alexandri.
- (7) Cronica eiusdem temporis post mortem Alexandri de diversis preliis Romanorum cum diversis gentibus.
- (8) Item de Cartaginensibus ystoria.
- (9) De Tholomeo Everiete, qui tertius regnat in Egipto et in Antiochia post Alexandrum Magnum.
- (10) Hoc tempore Romani Africa devicta Cartaginem recipiunt in deditonem. [Page 120]

(11) De Tholomeo Filiopatre, quarto ab Alexandre, quem Anthiocus rex Syrie vicit et imperavit pro eo et Iudeos fecit sibi tributarios.

(12) De Filiopatre, qualiter afflxit Iudeos.

(13) De Antiocho Seleuco, minore filio Antiochi, qui succedit in regnum, fratre suo Seleuco maiore Rome pro obside manente.

(14) Romana ystoria de Cartagine per idem tempus.

(15) Cronica de Apollonio rege Tyri et Sidonis et de eius infortuniis atque fortunis tempore Seleuci Antiochi.

(16) Item de Apollonio, ubi mortuo Antiocho ipse eligitur in imperium Antiochie.

(17) Apollonus tendit Antiochiam, set uxor eius in partu mortua proicitur in mare.

(18) Apollonus, relicta filia in urbe Tarsia, pergit Antiochiam.

(19) Theophilus, servus Tranquillionis, vadit occidere Tarsiam ad tumulum nutricis eius supra mare.

(20) Tarsia venditur a piratis in urbe Militena, ubi regnat Athenagoras, qui salvat eam a stupro.

(21) Apollonus recognoscit et recipit filiam suam in urbe Militena per regem Athenagoram.

(22) Apollonus visitat sacerdotum suum regem Archistratem cum uxore et filia sua.

(23) Romana ystoria contemporanea de Cartaginis destructione per Scipionem Africanum.

Particula XIX.

(1) De rege Antiocho Epiphane, fratre Seleuci, in principio Machabeorum.

(2) De Mathathia, patre Machabeorum, per idem tempus.

(3) Hec sunt nomina filiorum Mathathiae qui dicuntur Machabei.

(4) Ystoria Romanorum de bello Macedonicō post bellum Cartaginem per idem tempus.

(5) De Iuda Machabeo per idem tempus contra Antiochum.

(6) Antiochus movet exercitum adversus Iudam Machabeum.

(7) De Antiocho iuniore, filio Epiphanes, adversus Iudam Machabeum.

(8) Demetrius, filius Seleuci iunioris, insurget contra Antiochum iuniorem, filium Epiphanes.

(9) Bachides, evocatis Iudeis, in dolo occidit ex eis 60 milia nec eos sepeliri permisit.

(10) Alchimus sacerdos per Demetrium factus contra Iudam Machabeum mansit in Ierusalem.

(11) Nicanor revertitur, set Iudas insecutus interficit eum.

(12) Iudas Machabeus recipitur in tutelam Romanorum contra Demetrium.

(13) Mortuus est Iudas Machabeus et sepultus apud Medium cum planctu magno.

(14) Romana ystoria de destructione Cartaginis tempore Machabeorum.

(15) Mortuo Iuda Machabeo, erigitur Ionathas in principem sacerdotum contra Demetrium et ducem eius Bachidem.

(16) De morte Iohannis Machabei, fratris Ionathei.

(17) Ionathas pugnat cum Bachide et fugat eum in deserto lechue.

(18) Alchimus moritur percussus paralisi a Domino.

(19) Ionathas incidit in insidias Bachidis et vincit eum.

(20) Symon Machabeus triumphat in Bachidem.

(21) Ionathas et Bachides faciunt pacem et fiunt amici.

(22) Alexander, occiso Demetrio Antiocho, accipit uxorem filiam Tholomei regis Egipti.

(23) Demetrius, filius Demetrii, insurget contra Alexandrum in Antiochia.

(24) Tholomeus rex aufert filiam suam Alexandre et dat eam Demetrio iuniori cum regno Antiochie.

(25) Demetrius, dimisso exercitu, habet seditionem in Antiochia contra se factam a civibus.

(26) Trifon princeps Antiochie eligit sibi in regem Antiochum puerum, filium Alexandri decollati in Arabia.

(27) Trifon et puer Antiochus, filius Alexandri, vincunt Demetrium et tollunt Antiochiam.

- (28) Trifon et Antiochus puer tenent simul regnum Antiochie.
(29) Ionathas, cum sui fere omnes fugerent, ipse cum paucis super Demetrium triumphavit.
(30) Trifon cogitat occidere Ionathan ob invidiam prius et postea dominum suum regem Antiochum.[Page 121]

- (31) Symon Machabeus erigitur loco Ionathe in principem Iudeorum.
(32) Romana ystoria contemporanea, qualiter Chorintus capta est, et de Numancia civitate Yspanie et de aliis causis.
(33) Trifon, accepto argento pro redemptione Ionathe, interficit eum.
(34) Trifon, occiso Ionatha, interficit Antiochum in dolo.
(35) Symon et Demetrius confederantur adversus Trifonem, qui Demetrium ipsum a regno eiecerat.
(36) Iudas et Iohannes, filii Symonis, triumphaverunt super Trifonem.
(37) Symon Machabeus, renovata cum Romanis amicitia, mittit eis aureum scutum, cum iam ab omnibus pacem haberet.
(38) Romana ystoria contemporanea de Catellina et de aliis diversis.
(39) De bello Romanorum cum rege Mitridate per idem tempus.
(40) De Pontico Antiocho, filio Demetrii, contemporaneo, et de Triphonis depositione.
(41) Tholomeus, dux Antiochi Pontici, occidit Symonem Machabeum, sacerum suum, in dolo in convivio et duos filios eius maiores.
(42) Iohannes Yrcanus obsidet Tholomeum, interfectorem Symonis patris sui, in arce Dagon.
(43) Antiochus Ponticus obsidet Yrcanum in Ierusalem subgestione Tholomei.
(44) Determinatio omnium ystoriarum secundum magistrum Gotifredum.
(45) De Aristobolo primo rege Iudeorum post transmigrationem Babilonis.
(46) Alexander secundus rex Iudeorum post transmigrationem Babilonis succedit Aristobolo fratri suo.
(47) Antiochus succurrit populo afflito sub Alexandro, set ipse Alexander perimit eum in bello.
(48) Romana ystoria contemporanea de universo orbe rei publice subiugando.
(49) De morte regine Alexandre [uxoris Alexandri regis Iudeorum].
(50) Aristobolus, filius Alexandre regine minor, occupat regnum Iudeorum, expulso Yrcano maiore fratre suo.
(51) Iulius Cesar mittitur in Gallias Romanis subiugandas.
(52) De discordia inter Iulium Cesarem et Pompeium generum suum.
(53) Antipater et filii eius Herodes et Phaselus fiunt procuratores totius Iudee, Yrcano sacerdote in Ierusalem existente.
(54) Interfectio Iulii Cesaris vindicatur per Octavianum et per Antonium, et Christus nascitur.
Anno 43. imperii Octaviani Christus nascitur.

Particula XX.

- (1) Incipit novum testamentum.
(2) De Iohanne baptista, a quo novum testamentum habet originem.
(3) Liber generationis Ihesu Christi, filii David, filii Abraam.
(4) De patre et matre sancte Marie virginis et de ipsius nativitate.
(5) Angelus Gabriel e celis annunciat Anne nativitatem virginis Marie.
(6) Maria virgo nascitur, filia Anne et Ioachim.
(7) Maria virgo desponsata. Ioseph non vult maritari.
(8) Missus est Gabriel angelus ad Mariam virginem despensatam Ioseph.
(9) Ioseph videns Mariam pregnantem, voluit occulte dimittere eam.
(10) Verba auctoris sub admiratione de partu virginis.
(11) Quia Christus est verus Deus et verus homo.
(12) Similitudines de partu virginis ponit auctor.
(13) Angeli cantabant: Gloria in excelsis Deo.
(14) De circumcisione Domini capitulum.
(15) Magi veniunt Ierosolimam dicentes: Ubi est qui natus est rex Iudeorum.
(16) Questiones de Christo diversas in hoc loco ponit auctor.
(17) Herodes iratus occidit multos pueros in Bethleem Iude.[Page 122]

- (18) Verba auctoris, quod impossibile sit scribere omnia miracula Christi.
(19) De purificatione sancte Marie capitulum.
(20) Quod Christus in terris tres mortuos suscitavit, unum in domo, alterum in porta, tertium in sepulcro, et de aliis miraculis eius.
(21) Questio, qui est Christus secundum Augustinum et Ferrandum diaconum.
(22) Maria Magdalena et Maria Iacobi et Salome veniunt ad monumentum.
(23) Apparuit Ihesus ianuis clausis in medio discipulorum.
(24) Non erat Thomas cum eis, quando venit Ihesus.
(25) Questio, quomodo intrare potuit ianuis clausis.
(26) De ascensione Domini in monte Oliveti.
(27) De pentecosten. (28) De adventu Spiritus sancti in apostolos Christi.
(29) Auctor ponit comparationem inter vetus et novum testamentum, quod eorum sit dignius et carius apud Deum.
(30) Hic ponit auctor sub compendio de singulis apostolis originem et vitam et obitum, et primum de Petro.
(31) Quod lignum sancte crucis natum fuit in paradyso et inde in montem Libani transplantatum et Ierosolimis conservatum secundum Athanasium.
(32) Quod triginta denarii quibus venditus est Christus fabricati sunt tempore Nini regis Assiriorum et de manu in manum usque ad Christi tempora pervenerunt.
Particula XXI.
(1) De prelio inter Cesarem et Pompeium facto in Tessalia per Emathios campos usque ad Christi nativitatem tempore Octaviani primi imperatoris Romanorum.

- (2) De exaltatione Octaviani imperatoris, quem Romani voluerunt vocari suum deum, qui regnavit annis 53.
- (3) De fonte olei, qui fluxit in Tyberim.
- (4) De Iohanne baptista per idem tempus.
- (5) Item de Tyberio imperatore et de Christo versifice narratur.
- (6) De templo dee Ysidis destructo a Tyberio.
- (7) De morte Tiberii et exaltatione Gagii Gallicule.
- (8) De exaltatione Claudi imperatoris 4. ab Augusto.
- (9) De exaltatione Neronis imperatoris 5. ab Augusto.
- (10) Cronica contemporanea de Glodoveo rege Francorum.
- (11) De Galba et de Octone et de Vitello electis imperatoribus et de Vespasiano.
- (12) Item de exaltatione Vespasiani et Titi imperatoris 8. ab Augusto versifice dictum.
- (13) De exaltatione Domitiani imperatoris 9. ab Augusto.
- (14) De Nerva imperatore 10. ab Augusto.
- (15) De Traiano imperatore 11. ab Augusto.
- (16) De Adriano imperatore 12. ab Augusto.
- (17) De Antonio Pio imperatore 13. ab Augusto.
- (18) De Antonio iuniore et Aurelio Commodo fratre suo 14. ab Augusto et de papa sui temporis.
- (19) Item de eodem Pio Antonio versifice narratur.[Page 123]

- (20) De Comodo imperatore post Antonium iuniorem 15. ab Augusto.
- (21) De Elio imperatore 16. ab Augusto, qui cognominatur Pertinax, et cronica sui temporis.
- (22) De Claudio imperatore 17. ab Augusto et de papa sui temporis.
- (23) De Severo imperatore 18. ab Augusto et de papa sui temporis.
- (24) De Antonio Aurelio Caracalla imperatore 19. ab Augusto.
- (25) De Macrino imperatore 20. ab Augusto.
- (26) De Marco Aurelio imperatore 21. ab Augusto.
- (27) De eodem Marco Aurelio imperatore.
- (28) De Alexandro imperatore 22. ab Augusto.
- (29) De Maximino imperatore 23. ab Augusto.
- (30) De Gordiano imperatore 24. ab Augusto.
- (31) De Philippo imperatore 25. ab Augusto.
- (32) De Valeriano et Galieno imperatoribus 26. ab Augusto.
- (33) De Valerio imperatore 27. ab Augusto.
- (34) De Claudio imperatore 28. ab Augusto.
- (35) De Aurelio imperatore 29. ab Augusto.
- (36) De eodem Aurelio imperatore versifice et de papa sui temporis.
- (37) De Tacito imperatore 30. ab Augusto, qui regnavit ann. 1.
- (38) De Probo imperatore 31. ab Augusto.
- (39) De Caro imperatore 32. ab Augusto et de papa sui temporis.
- (40) De Maxentio imperatore 33. ab Augusto.

Particula XXII.

- (1) De Maximiano et Dioclitiano imperatoribus, qui regnant annis 20, et de papa sui temporis et de Constantino Magno.
- (2) De Maxentio imperatore, filio Maximiani, 35. ab Augusto.
- (3) De Constantino Magno imperatore 36. ab Augusto.
- (4) De tribus filiis Constantini, qui regnant annis 34, Constantio, Constantino et Constante 37. ab Augusto.
- (5) De vita et errore Arrii in tempore filiorum Constantini.
- (6) De Iuliano apostata imperatore 38. ab Augusto.
- (7) Item de Iuliano, quomodo rex Persarum fecit eum excoriari, sicut legitur in vita sancti Fabiani.
- (8) De Iobano imperatore 39. ab Augusto.
- (9) De Foca cesare 40. ab Augusto.
- (10) De Valentianino imperatore 41. ab Augusto.
- (11) De Valente imperatore 42. ab Augusto.
- (12) De Gratiano imperatore 43. ab Augusto et de papa sui temporis.
- (13) De Teodosio imperatore 44. ab Augusto.
- (14) Item de Teodosio et Archadio imperatoribus.
- (15) De Archadio et Honorio fratribus et imperatoribus 45. ab Augusto.
- (16) De Iohanne Crisostomo episcopo per idem tempus.[Page 124]

- (17) De Martiano et Valentiniano imperatoribus 46. ab Augusto.
- (18) De Leone Byssa Grecorum imperatore 47. ab Augusto.
- (19) De Zenone imperatore 48. ab Octaviano Augusto.
- (20) De Anastasio imperatore 49. ab Augusto.
- (21) De Iustino imperatore 50. ab Octaviano Augusto.
- (22) De Iustiniano imperatore 51. ab Augusto.
- (23) Hoc tempore Lombardi habitabant in Hungaria.
- (24) De Iustino iuniore imperatore Grecorum 52. ab Augusto.
- (25) De Tiberio Constantino imperatore Grecorum 53. ab Augusto.
- (26) De Mauritio imperatore 54. ab Augusto et de pontifice sui temporis.
- (27) De Foca imperatore 55.
- (28) De Eraclio imperatore Grecorum 56.
- (29) Item de Eraclio et de exaltatione sancte crucis et de papa sui temporis.
- (30) De Eraclio Constantino imperatore, filio Magni Eraclii, et cronica sui temporis, 57.

- (31) De Constante imperatore, filio Eraclii Constantini, et cronica sui temporis, 58.
 (32) De Theodosio imperatore, filio Constantis Eraclii, et cronica sui temporis, 59.
 (33) De Iustiniano imperatore, 60. ab Augusto, filio Theodosii, et cronica sui temporis.
 (34) Hic incipit proienies omnium Karolorum, ab Angisio, filio Arnoldi episcopi Metensis, qui prius fuerat dux Francorum et maior domus per idem tempus.
 (35) De Phillipico Constantinopolitano imperatore, et cronica regum Francorum per idem tempus, 61. ab Augusto.
 (36) De Anastasio imperatore, et cronica sui temporis, 62.
 (37) De Theodosio secundo imperatore, et cronica, 63.
 (38) De Leone imperatore Grecorum 64. ab Augusto.
 (39) De ultimo Theodosio Constantino imperatore Grecorum 65.
 (40) Incipit hic proemium de origine regum Francorum et quando vel quomodo ipsi Franci in toto Occidente Romanum imperium obtinuerunt.
 (41) De ultimo Leone imperatore Grecorum 66. ab Augusto, sub quo imperium Grecorum ad Francos est devolutum, et de Romanis pontificibus illius temporis, et cronica diversorum.
 (42) De genealogia Karoli Magni a tempore attavi sui Pipini Grossi, et qualiter ipsa proienies obtinuit regnum Francorum, que postea sortita est Romanum imperium et totum orbem.
 (43) Per idem tempus de Karulo Martello, avo Karuli Magni.
 (44) De primo adventu Gothorum in Italiam, tempore Leonis imperatoris Grecorum, quando Karulo Martellus Ytaliam a Gothis liberavit.
 (45) De morte et sepultura Karuli Martelli et de filio eius Pipino Nano cum duobus fratribus suis.
 (46) His temporibus Pipinus dux Francorum factus est patricius Romanorum.[Page 125]

- (47) Hoc tempore Pipinus fit rex Francorum.
 (48) De Gothis et de Lombardis, a quibus Pipinus ecclesiam Romanam et totam Ytaliam liberavit.
 (49) Item de Pipino, qualiter fit rex Francorum per papam Zachariam.
 (50) De obitu Luprandi regis Lombardorum et de Agistulfi regis Lombardorum exaltatione et de primo introitu Pipini in Ytaliam.
 (51) De secunda rebellione Agistulfi regis et de secunda victoria Pipini super eum.
 (52) De exaltatione Desiderii regis Lombardorum et de Rachisio adversario eius.

Particula XXIII.

- (1) Karolus Magnus erigitur in regnum Francorum mortuo Pipino.
 (2) De Leone supradicto imperatore Grecorum, et cronica ipsius temporis.
 (3) Item de Pipino et de generatione ipsius versifice narramus et quomodo Karolus vocatus est in auxilium Romane ecclesie in Ytaliam.
 (4) Incipit hic in loco isto ystoria Lombardorum, qui prius Winuli vocabantur.
 (5) Alboinus rex Lombardorum uxorem suam Rosimundam cogit bibere ex testa capitis patris sui Cunimundi regis Gepidorum; quam ipse in similitudinem scifi fecerat preparari.
 (6) Item de Alboino et de Rosimunda versifice, qualiter illa se vindicat et ipsa tandem veneno moritur.
 (7) De Constantino imperatore Grecorum 66. ab Augusto, regnante in Francia Karulo Magno.
 (8) Per idem tempus de Leone papa III. versifice, quomodo cecatus est et lingua truncatus Rome sub Karulo Magno primo Francorum imperatore.
 (9) Qualiter et quando Karulus Magnus factus est Romanorum imperator 67. ab Augusto.
 (10) Item de coronatione Karoli Magni versifice.
 (11) Karolus Rome coronatus cogitat invadere imperium Grecorum.
 (12) Nicefarus Grecorum imperator tempore Karoli Magni a Vulgaris occiditur et gener eius Michael erigitur, Karulo iam Rome imperante.
 (13) De Leone Grecorum imperatore, iam Karulo Rome imperante.
 (14) Item de pactione facta inter Karolum et Grecorum imperatorem versibus explicamus.
 (15) De quatuor principalibus sedibus imperii Romani in Occidente.
 (16) Karolus pergit peregrinus Ierusolimam per Constantinopolim, set revertitur per Siciliam, Calabriam et Apuliam.
 (17) Karolus revertitur a Ierosolimis.
 (18) Angelus Domini precepit Karulo pergere contra Yspanos.
 (19) Ludoicus, filius Karuli, exaltatur in imperium 68. ab Augusto.
 (20) De Lothario imperatore, 69. ab Augusto, filio Lodoici.
 (21) De Lodoico secundo puerō imperatore 70. ab Augusto.
 (22) De Karulo quarto Francorum imperatore et Romanorum 71.
 (23) De nativitate imperatoris Arnulfi 5. a Karolo Magno.
 (24) De illo rege Karolo, qui a fratribus suis acceperat Alemaniam in portionem. Hoc tempore confuse regnatur in Francia.
 (25) Item de rege Cendebuldo, spurio filio Arnulfi imperatoris, versifice repilogamus. Nunc etiam confuse regnatum est.
 (26) De Lodoico IV. puerō rege Francorum, filio Arnulfi regis legitimo. Nunc etiam confuse regnatur in Francia.
 (27) De primo rege Conrado post Lodoicum puerum 75.[Page 126]

- (28) De Henrico primo rege Francorum, qui cognominatur Auceps.
 (29) De primo Ottone imperatore Romanorum.
 (30) De secundo Ottone imperatore Romanorum.
 (31) De Ottone tertio imperatore.
 (32) De secundo Henrico, scilicet Claudio, imperatore Romanorum.
 (33) Item de eodem secundo Henrico imperatore Romanorum Claudio et de civitate et gloriosa eius ecclesia, que vocatur Babenberc, id est mons Pavonis, versifice dicamus.

- (34) De secundo Conrado imperatore Romanorum.
- (35) Item de eodem Conrado imperatore et de pace sui temporis versibus explicamus.
- (36) De tertio Henrico imperatore, filio Conradi secundi imperatoris.
- (37) De quarto Henrico imperatore Romanorum.
- (38) Istoria Ierosolimitana de recuperatione sancti sepulcri tempore imperatoris Henrici IV. anno Domini 1067.
- (39) Item de vita et conversatione prava ipsius Henrici IV. imperatoris.
- (40) Normanni invadunt Apuliam tempore quarti Henrici imperatoris.
- (41) Item de quinto Henrico iuniore, filio quarti Henrici.
- (42) Henricus V. capit papam Pachalem.
- (43) Item de captivitate pape Pachalis et de guerra inter imperium et ecclesiam versibus subnotavi.
- (44) De excommunicatione imperatoris Henrici V. propter pape Pachalis captivitatem.
- (45) Disputatio inter imperialem curiam et papalem, quis eorum maior esset in illo tempore.
- (46) De Lothario imperatore post Henricum V.
- (47) Item de Lothario versifice et de duce Conrado contra eum erecto, set tandem pacificato.
- (48) De exaltatione Conradi tertii post Lotharium imperatorem.
- (49) Item de Conrado tertio, qualiter rex Rogerius contra eum tollit Apuliam et per Welfonem ducem infestat regnum Teutonicum.
- (50) De pace inter imperatorem Fredericum et Lombardos.
- (51) Item de Conrado tertio, qualiter ultra mare perrexit cum exercitu christianorum.

Particula XXIV.

- (1) De exaltatione imperatoris Frederici primi, nepotis Conradi tertii.
- (2) De civitate Mediolani et de guerra et destructione eius per Fredericum imperatorem.
- (3) De Astensi civitate.
- (4) De civitate Terdona per Fredericum ter desolata.
- (5) Qualiter a Terdona Romam consecrandus processit.
- (6) Qualiter imperator ab apostolico Adriano coronatus est apud Sanctum Petrum sine Romanorum consensu; unde pugnatum est cum Romanis, set imperator obtinuit.
- (7) De Spoleti destructione per Fridericum imperatorem.
- (8) De initio scismatis inter Alexandrum et Octavianum.[Page 127]

(9) De civitate Alexandrie, que nunc dicitur Cesarea in Lombardia.

(10) De rege Henrico VI, filio Frederici imperatoris.

(11) Item de rege Henrico VI, adhuc adolescente, proponitur a Gotifredo capellano suo quedam forma regnandi, qualiter imperium Romanum beatum laudabiliter gubernare.

Particula XXV. Ystoria Anglorum et Saxonum.

- (1) Mortuo rege Aurelio erigitur frater eius Uterpendragon.
- (2) De Merlino propheta Anglorum.
- (3) Uterpendragon rediens a collusione ducisse invenit ducem occisum et castrum eius captum.
- (4) Rex reversus ad suos invenit ducem occisum et castrum captum.
- (5) Item de Yherna ducissa obsessa in arce sua.
- (6) Yherna ducissa recognoscit dicta regis et tradit se illi.

Particula XXVI. Que sint insignia imperialia, et quid significat unumquodque, videlicet sancta crux, sancta lancea et gladius imperialis et sceptrum et corona et aureum pomum.

- (1) Quid significat gladius regalis vel imperialis.
- (2) Quid significat sceptrum regale.
- (3) Quid significat lancea imperialis et unde venit.
- (4) Quid significat globus aureus, qui regum manibus gestatur.
- (5) Quid significat crux posita super aureum pomum. (6) Quid significat diadema imperiale.
- (7) Quid significant gemme preciosae in corona et qui eas instituit.
- (8) Quid significat aurum in coronis.
- (9) Quid significat crista in corona imperiali.

Particula XXVII. Incipit catalogus et ordo sive cronica regum Gothorum.

- (1) De origine omnium Gothorum.
- (2) Incipit ordo et catalogus regum Gothorum et cronica eorum.
- (3) De Sigerico rege Gothorum.
- (4) De Valliasto rege Gothorum.
- (5) De Theoderico rege Gothorum.
- (6) De Tutrismundo rege Gothorum.
- (7) De Eurico rege Gothorum.
- (8) De Allarico rege Gothorum.
- (9) De Gesalico rege Gothorum.
- (10) De Amalarico rege Gothorum.
- (11) De Teudio rege Gothorum.
- (12) De Teodisolo rege Gothorum.
- (13) De Agila rege Gothorum.
- (14) De Athanagildo rege Gothorum.
- (15) De Liuba rege Gothorum.
- (16) De Levigildo rege Gothorum.
- (17) De Recaredo rege Gothorum.
- (18) De Liuba rege Gothorum.[Page 128]

(19) De Victerico rege Gothorum.

(20) De Gondemaro rege Gothorum.

- (21) De Sisebuldo rege Gothorum. (22) De Sisnando rege Gothorum.
 - (23) De Cintela rege Gothorum.
 - (24) De Tulgo rege Gothorum.
 - (25) De Cindasinto rege Gothorum.
 - (26) De Recesviato rege Gothorum.
 - (27) De Luanarbo rege Gothorum.
 - (28) De Crulgio rege Gothorum.
 - (29) De Utiza rege Gothorum.
 - (30) De Ruderico rege Gothorum.
- (31) Incipit ordo et catalogus regum Yspanorum in Asturia vel in Yspenia, quam Saraceni in Yspenia occupaverunt.

Particula XXVIII.

(1) Ystoria de lege et natura Sarracenorum et de vita et origine et lege Machometh prophete eorum, qui fuit et cepit temporibus Eraclii Romanorum imperatoris.

(2) Incipit de eodem Machometh ystoria, quem Sarraceni colunt et venerantur a tempore Eraclii imperatoris Romanorum et Grecorum.

Particula XXIX.

(1) Cronica tripartita et doctrina Grecorum ab Adam usque ad imperatorem Fredericum primum secundum Gotifredum Viterbiensem capellatum suum.

(2) Cronica Latinorum tripartita et catalogus omnium pontificum Romanorum et omnium imperatorum, et primum de domino nostro Ihesu Christo.

Particula XXX.

(1) Incipit tractatus cronicarum de omnibus regibus Israel qui regnaverunt super decem tribus in Samaria usque ad captivitatem eorum sub Salmanasar rege Assyriorum.

(2) Et quotquot summi sacerdotes fuerunt in Israel usque ad Christum. (3) Et qui fuerunt patriarche in Ierusalem a Christo.

(4) Et quot episcopi in Bizantio a Christo fuerunt et ab apostolis.

(5) Et qui in Alexandria patriarche fuerunt a tempore Christi.

(6) Et qui fuerunt Antiochiae episcopi a tempore Christi et apostolorum.

Particula XXXI.

(1) De consecrationibus altarium quis inchoaverit a tempore beati Petri apostoli usque ad nos.

(2) De officio et ordine missarum, quid unusquisque papa addiderit in missam a tempore beati Petri usque ad papam Clementem tercium [sub cuius tempore completus est liber iste].

(3) De questionibus diversis, et primum de missa.

Particula XXXII.

(1) Catalogus regum Ytaliorum et omnium regum aliorum regnum.

(2) Catalogus regum Egiptiorum.

(3) Catalogus regum Antiochorum.

(4) Catalogus Troianorum regum.

(5) Catalogus regum Grecorum.

(6) Catalogus Sicioniorum regum.

(7) Catalogus regum Argivorum.

(8) Catalogus regum Babiloniorum.

(9) Catalogus regum Francorum.

(10) Catalogus regum Lombardorum.

(11) De septem miraculis secundum Solinum de mirabilibus mundi.

Particula XXXIII, super librum Pantheon Gotifredi Viterbiensis imperialis aule capellani, inducens preconia et sanctificationes omnium prophetarum de domino Ihesu Christo ad defensionem fidei christiane secundum Ysidorum per capita inferius designata.

(1) Quia Deus pater habet filium et quia Christus est filius Dei, dicit David.

(2) Quia Christus Ihesus est Deus et dominus omnium.[Page 129]

(3) Quod Deus in trinitate est trinus et unus Deus.

(4) Quod filius Dei Deus factus est homo.

(5) Quod hoc nomen Ihesus per Moysen inventum est et prefiguratum est.

(6) Quod Christus ex semine Abrae nasciturus erat.

(7) Quod Christus tempore Herodis erat nasciturus.

(8) Quia Christus de stirpe David nasciturus erat.

(9) Quia Christus de virgine sine virili admixtione natus est.

(10) Quia Christus in Bethleem nasciturus erat.

(11) Quia magi Christo munera obtulerunt.

(12) Quia Christus mansuetus et pauper venturus erat.

(13) Quia Christus rex et sacerdos non oleo materiali set oleo leticie spiritu patris sui unctionis est.

(14) Quia Christus signa et prodigia erat facturus.

(15) Quia Deus voluit hominibus in corpore apparere.

(16) Quod Iudei Christum non erant recepti.

(17) Quod Iudei non agnoscentes Christum in unum consensum convenirent, ut Christum occiderent.

(18) Quia discipulus familiaris erat Christum ad precium venditum.

(19) Quod Christus tradidit semet ipsum oblationem Patri pro nobis.

(20) Quod Christus traditus est ab inpiis Iudeis.

(21) Quod Christus ab amicis et a discipulis erat derelinquendus.

(22) Quod Christus per falsos testes erat accusandus.

(23) Quia flagella et palmas et ictus sustinuit Christus.

(24) Quia spinea corona erat coronandus.

(25) Quia Iudei clamaturi erant ut crucifigeretur.

- (26) Quia milites veste coccinea induerent eum.
(27) Quia Christus tacuit dum pateretur.
(28) Quia in ligno suspendendus erat Christus.
(29) Quia clavis in cruce fixus est.
(30) Quia inter latrones crucifixus est.
(31) Diviserunt sibi vestimenta mea.
(32) Quia felle et aceto potatus est.
(33) Quia pro inimicis oravit Christus.
(34) Quia non pro suis, set pro nostris peccatis mortuus est.
(35) Quia vere mortuus est.
(36) Quia tenebre facte sunt eo moriente.
(37) Quia crura eius non frangerentur.
(38) Quia lancea latus eius erat vulnerandum.
(39) Quia de vulnera eius sanguis et aqua exiret.
(40) Quia sepultus est Christus.
(41) Quod monumentum eius lapide signaretur.
(42) Quod ad infernum descendit Christus. (43) Quia Christus fideles suos de inferno liberavit et in celum rediit.
(44) Quia post triduum reddit ab inferis.
(45) Quia Christus missurus erat apostolos piscatores in signo crucis.
(46) Quia Christus usque ad Patrem ascendit in celum.
(47) Quod Christus sedet ad dexteram Patris et misit in apostolos Spiritum sanctum.
(48) Quod Christus ad iudicandum venturus est.
(49) Quod temporale sabbatum et observantia eius reprobata est.
(50) De escis non repudiandis secundum Iudeos.
(51) Quod vetus testamentum non propter Iudeos tantum, set propter gentes datum est.
(52) Quod Iudei non possunt intelligere litteras Christi, nisi prius credant.
(53) De circumcisionis abominatione.
(54) Quia Deus reprobavit sacrificia Iudeorum.
(55) Quod Iudei scripturas veteris testamenti non intelligunt.
(56) Quia Deus duo testamenta dedit in mundum.
(57) Quia evacuato vetere testamento dandum erat novum testamentum.
(58) Quia non per circumcisionem, set per baptismum promissa fuit olim remissio peccatorum.[Page 130]

- (59) Quod crismate omnia sanctificantur per Christum.
(60) Quod credentes in Christo per signum sancte crucis salvaremur.
(61) Quod littera Ebraica thau ostendit speciem et formam crucis.
(62) Quod panis et vini sacramentum futurum erat pro holocausto.
(63) De vocatione gentium ad fidem.
(64) Quia omnibus hominibus mandatum est credere in Christum.
(65) Quod regnum Christi manet in eternum.
(66) Uterque populus, Iudeus et gentilis, vocatur in regnum Christi.
(67) Quia Iudei in Christum non erant credituri.
(68) Quod Christus Iudeis erat recessurus propter eorum duritiam et incredulitatem.
(69) Quod Iudei propter peccatum suum dispersi sunt per orbem.
(70) Quod Ierusalem propter Christum dispersa est.
(71) Quod Iudeis a Deo repudiatis gentes vocande erant.
(72) Quod Iudei omnes in fine mundi sunt credituri in Christo.
(73) Quia gentes prius et Iudei postea erant credituri.
(74) Incipiunt omnia nomina prophetarum et patrum veteris testamenti et de origine et patria eorum et de predicatione et de morte et sepultura eorum, et primum de David.
(75) De Salomonis vita et morte et sepultura eius.
(76) De Elia propheta, origo et vita et finis eius.
(77) De Ysaia propheta, origo et vita et finis eius.
(78) De Ieremia propheta, origo et vita et finis eius.
(79) De Ezechiele propheta, origo et vita et finis eius.
(80) De Daniele propheta, origo et vita et finis eius.
(81) De Achia propheta, origo et vita et finis eius.
(82) De Zacharia propheta, origo et vita et finis eius.
(83) De Agdon propheta, origo et vita et finis eius.
(84) De Tobia propheta, origo et vita et finis eius.
(85) De tribus pueris Anania, Azaria, Misael, et de vita et morte eorum.
(86) De Esdra propheta et vita et sepultura eius.
(87) De Zorobabel et Neemia propheta, origo et vita et sepultura eius.
(88) De regina Hester, origo et vita et sepultura eius.
(89) De vidua Iudith, origo, vita et sepultura eius.
(90) De Zacharia, filio Barochie, origo, vita et sepultura eius.
(91) De Machabeis, origo et vita et sepultura eorum.
Hic incipiunt patres novi testamenti.
(92) De Iohanne baptista, origo et vita et sepultura eius.
(93) De Maria virgine, origo et vita et sepultura eius.
(94) De Symone Petro, origo et vita et finis eius.
(95) De Paulo apostolo, origo et vita et finis eius.
(96) De Andrea, origo et vita et finis eius.
(97) De Iacobo apostolo fratre Domini, origo et vita et finis eius.
(98) De Iohanne apostolo et euangelista, origo et vita et finis eius.

- (99) De Phylippo apostolo, origo et vita et finis eius.
 (100) De Thoma apostolo, origo et vita et finis eius.
 (101) De Bartholomeo apostolo, origo et vita et finis eius.
 (102) De Matheo apostolo, origo et vita et finis eius.
 (103) De Iacobo Alfei apostolo, origo et vita et finis eius. (104) De Iuda apostolo, fratre Iacobi, origo et vita et finis eius.
 (105) De Mathia apostolo, origo et vita et finis eius.
 (106) De Symone apostolo Zelote, origo et vita et finis eius.
 (107) De Luca apostolo et euangelista, origo et vita et finis eius.
 (108) De Marco apostolo et euangelista, origo et vita et finis eius.[Page 131]

- (109) De Barnaba apostolo, origo et vita et finis eius.
 (110) De Thymotheo apostolo, discipulo Pauli, origo et vita et finis eius.
 (111) De Tito, discipulo Pauli, origo et vita et finis eius.

Codices B.

IN NOMINE DEI ETERNI. ANNO DOMINICE
 INCARNATIONIS 1185. INCIPIT LIBER
 UNIVERSALIS COMPOSITUS A MAGISTRO
 GOTTFREDO BITERBIENSE AD
 DOMINUM GREGORIUM PAPAM VIII. ANNO
 DOMINI 1184.

Domino et patri suo Gregorio summo pontifici
 et gloriose Henrico regi Romanorum VI.
Gotifredus eorum clericus iustitiam diligere,
 sapientiam querere, et in Domino imperare.
Cum maiestatis vestrae culmen inspicio et eius
 eminentie considero dignitatem, illud *ante*
 omnia necessarium esse *intueor*, ut, sicut potestate
 noscitur preminere principibus, ita
 magis omnibus virtutibus adornetur, tantaque
 sit eius disciplina regiminis, ut per eam
 vicia corripi et status orbis debeat emendari.
Cuius prerogative gloriam impossibile est
principem sufficienter attingere, qui mundi
cursum et originem et scripturarum docmata
 noscitur ignorare. Imperator enim expers philosophie, cum *ceteris hominibus rector instituatur*,
 si fuerit *filosophie* nescius, errare
 sepius quam regnare videtur, quia, dum in
 causis rei publice sapientia indiget, cogitur
 eam ab aliis semper emendicare. Et ex
 hoc aliena potius quam sua cernitur virtute
 regnare. Hec sententia primo loco principibus,
 deinde omni *homini proponenda monstratur*,
 quia Creator propter hominem cuncta
 creavit *voluitque omnes homines iusticie disciplinam*
 cognoscere, quam sola bruta nata
 sunt ignorare. Tu *igitur, Heinrice rex gloriissime*,
 sicut a puericia curasti philosophicis
 inherere doctrinis, ita et in posterum, quam

Codices C. D. E.

PROEMIUM SUPER LIBRUM PANTHEON
 MAGISTRI GOTFREDI VITERBIENSIS AD
 DOMINUM PAPAM GREGORIUM VIII.

Summo et universalis pape Gregorio
 VIII., domino et patri suo reverentissimo,
 Gotifredus Viterbiensis sacerdos indignus,
 [imperialis aule capellanus], se ipsum in
 omni obsequio et obedientia subiectissimum.
 Dum sacrosancte matris nostre Romane
 ecclesie culmen inspicio et eius eminentie
 considero maiestatem, illud ante omnia necessarium
 esse intueor, ut, sicut ipsa omnibus
 noscitur preesse principibus, ita omnes
 reges et principes et universe orbis ecclesie
 doctrina eius et regimine adornentur et
 ab ea, tamquam a fonte iustitiae, totius
 sapientie regulis instruantur; quia nullum
 scripturarum eloquium noscitur esse authenticum,
 nisi ab eius sapientie fluminibus sipientibus
 propinetur. Quare, si quod ystoriarum
 opus nova per aliquem institutione
 conficitur, ratio sugerit, ut, antequam in
 publicum deveniat, apostolico examini presentetur;
 quatinus, si acceptione dignum esse
 perpenditur, eius mandato et iudicio approbetur
 et ab eo vires auctoritatemque recipiat,

cui terrena et celestia divinitus sunt commissa.
Eapropter, reverentissime pater, hoc
opusculum longo tempore simplicitatis mee
studiis aggregatum et de veteri et novo
testamento atque de omnibus fere ystoriis
in unum volumen sub compendio redactum,
ad honorem Dei et emendationem seu approbationem
sancte Romane ecclesie, ante
vestrum examen perferre disposui vestre [Page 132]

Codices B.
vis necessitatibus bellicis et rei publice motibus
occuperis, antiquorum regum et imperatorum
istoriis philosophica indagatione conscriptis
et ad tua tempora multifarie delegatis
semper studeas erudiri, ut, cum illorum
virtutes et acta didiceris, per rerum
noticiam status tui imperii debeat emendari
et ad futura *tempora paratior inveniri; tu*
etiam ipse apud Deum non debeas de ignorantia
iudicari. Sane cum omnis homo legibus subiaceat
et soli videantur reges humanis legibus
non subiacere, reges omnes solius Dei
subiuntur examini. Eorumque peccatum
solius Dei iudicio reservatur. Unde rex Davit
cum graviter peccasset ait: *Tibi soli peccavi,*
Domine. Cum ergo rex non in hominem,
set in Deum videatur peccare,
et non legibus humanis, set Dei iudicio subponatur,
tanto diligentius ab excessibus caveant,
quanto terribilius examen expectant. Competit
ergo fieri cunctos reges cunctis
hominibus doctiores, quatinus et iram
Dei sapienter evitent et terre sibi
subdite valeant congrue providere.
Ceterum quia tanta est librorum multiplicitas,
ut numquam tota perlegi nec tota valeat
memorie commendari, libellus iste *tibi* non
superfluus ex omnibus istoriis *est meis laboribus*
aggregatus et eroico metro ad delectationem
tue iuventutis *compositus*, ut, cum de
mundi principio, de varietate seculorum atque
de cursu rerum scire volueris, omnium
illorum flores et summas in hoc modico volumine
te habere cognoscas.
Intentionis autem et propositi *mei* est in
hoc opere a prima rerum creatione incipere.

Codices C. D. E.
que gratie presentare curavi, ut si, actore
Deo, per vos fuerit approbatum, ad alias
ecclesiias ulterius derivetur, et non solum
clericis, sed reges et principes habeant opus
hoc a vestre sanctitatis auctoritate. Reges
enim et principes impossibile est perfecti
regiminis et regie potestatis excellentie convenienter
culmen attingere, qui mundi cursum
originem et scripturarum noscuntur
docmata ignorare. Imperator enim aut
rex, qui expers phylosofie ceteris principibus
potestate, preponitur, si fuerit phylosofie
nescius, errare sepius quam regnare
videtur; quia, dum in causis rei publice
sapientia indiget, cogitur eam ab aliis frequenter
emendicare, et ex hoc aliena sepius
quam sua cernitur virtute regnare. Omnes
namque reges debent rerum statum et
iusticie disciplinam cognoscere, quam sola
bruta nata sunt ignorare. Oportet etiam
eos Creatori de his omnibus reddere rationem,
quia ipsi, cum legibus sint absoluti,
non in legem, set in Deum peccant. Unde
David de se ipso dicit: *Tibi soli peccavi.*
Cum ergo reges non in leges, set in Deum
peccent, et Dei solius vestroque examini
reserventur, antiquorum regum vitam et

gesta atque ystorias oportet eos cognoscere,
ut cause precedentium fiant eis in posterum
cautio futurorum. Ipsi quoque principes,
inter alia beneficia sancte Romane ecclesie
gaudeant se hunc ystoriarum libellum de
fonte sanctitatis vestre suscipere, cuius
instructi adminiculo, poterunt subiectos sibi
populos rationabilius gubernare. Hoc autem
opus non tantum in prosis, set versibus
adnotavi, ut lectores eius, si aliquando legendo
prosas fuerint fatigati, cum versus sequentes inspexerint, consonantia
et delectatione metrorum ad legendum ulterius provocentur; illi autem,
qui versus forte non intelligunt, prosarum saltem lectionibus delectentur. Intentionis
autem nostre est in hoc opere ab ipsa prima rerum creatione incipere.
Inmo ante omnem creationem, scilicet a divina essentia, que est ante tempora. De qua
frequenter queritur: Ubi erat tunc Deus, et in quo mundo, et quid operabatur, et quomodo[Page 133]

est trinus et unus Deus, et cuius erat dominus, dum nulla erat creatura, et quomodo
spiritus Domini ferebatur super aquas, et huiusmodi alia. Item de angelis, de celis,
de planetis atque de elementis et de creatione hominis [et de anima hominis secundum
diversas sententias filosoforum, et de unione anime et corporis quomodo fiat], et deinceps
universum vetus et novum testamentum omnesque istorias gentium et regum
et regnorum sub compendio perlustramus. Que omnia per capitula in ordine disponemus.
Nomen autem libri est panteon Gotifredi, sicut a Lucano Lucanus et ab
Oratio Oratius. Hoc autem nomen interpretatur pax Dei. In lingua nanque Teutonica
got dicitur Deus et pax dicitur fride. Inde Gotifredus pax Dei interpretatur.
Ideoque hoc nomen huic operi satis convenire videtur, cum in hoc libro vetus testamentum
cum novo et istorie Latine cum barbaris et prose cum versibus sub uno volumine
tamquam invicem pacificate concordent. Estimo autem, in causis huiuscemodi,
sicut mos est fieri, nonnullos emulos invidie livore torqueri; qui priusquam librum
inspiciant et priusquam eius elegantiam agnoscant, fient michi non equitatis iudices,
set operis detractores. Adversus quorum insidias talem ad defensionem mei voluminis
constitui armaturam, ut per singula pene libri capitula singula sint actorum nomina in
testimonium presignata; que et lectoribus autoritatem exhibeant et me ipsum a detrahentium
inmanitate defendant. Itaque supra vetus testamentum habeo auctores: Moisen,
Esdram, Iosephum, Danielem et alias prophetas, Iesum Sidrac, Davit, Salemonem,
Ester, Iudit et Machabeos. In novo autem testamento auctores inducimus omnes apostolos,
Clementem papam, Dionisium Ariopagitam, Origenem, Iohannem Crisostomum, Athanasium,
Ieronimum, Augustinum et Gregorium aliasque nonnullos ecclesie doctores.
Super istorias vero gentilium habemus etiam Iosefum, Dionium, Strabum, Orosium,
Egesippum, Suetonium, Solinum, Iulium Africanum, qui prima cronica conscripsit sub
Marco Crasso. De Chaldeis quoque habemus Berosum, qui defloravit omnia scripta Chaldeorum.
De Egiptiis inducimus Mamenot istoriografum et cronicatorem Egiptiorum.
Habemus etiam ab Egiptiis Mochum et Estium et Ieronimum Egiptium istoriografos
famosissimos. Materia igitur totius libri est universum vetus et novum testamentum et
universi reges et regna, que fuerunt vel sunt ab initio mundi usque ad tempora nostra.
Quorum omnium notamus originem et finem et nomina et etates et iesta. Sola itaque
nomina regnorum ad maiorem evidentiam in presenti proemio duximus subroganda.
Describimus igitur regnum Babiloniorum, regnum Assiriorum et Indorum et Egiptiorum
et Argivorum et Lacedemoniorum et regnum Thessalonorum et Sicinorum et Ligdorum
et Amazonum et Macedonum et Ebreorum et Grecorum, Persarum et Medorum et Troianorum et omnium regum Albanorum et
regum et consulum Romanorum et consulum Romanorum et[Page 134]

omnium Italicorum et Francorum et Teutonicorum et Lombardorum et Hunorum et
Gothorum et Guisogothorum et Austrogothorum et Anglorum vel Britonum et Pannoniorum
et Adtheniensium et Sicilie et Crete, et regnum Scitarum et Avarum, id
est Ungarorum priorum, et Guinulorum, qui sunt in confiniis Asie et Europe super
Meotidas paludes, Guandalorum et Sardinie atque Sibillie.
Similiter post omnes reges [tamquam ultimos in sexta etate mundi constitutos
reges et principes] ponimus etiam [tempora et] istorias imperatorum et omnium pontificum
Romanorum gesta et annos et menses et dies et nomina eorum a [nativitate
Christi, a qua incipit imperium Romanorum, et a] beato Petro apostolo usque ad venerabilem
Gregorium VIII. papam et usque ad dominum imperatorem Fredericum primum
et ad filium eius dominum regem Henricum sextum. [Omnium igitur regum et regnorum
predictorum cronica et istorie simul cum novo et veteri testamento in hoc volumine sub
compendio continentur. Que licet ab antiquissimis autoribus sint recepta, vestre tamen
equitatis examini estimo subponenda. In quibus benignos et propitiros dignemini concedere
auditores, qui non nimium verborum leporem, non dicta falerata, set simplicem
eloquii urbanitatem exquirant, et res gestas, non causas rerum gestarum, exposcant;
scituri, quia meum est dicta precedentium et res gestas describere, non rerum gestarum
reddere rationem.]

P. 134 v. 18 post rationem *initio particulae V. et VII. leguntur, quae hoc loco adicienda duxit Pertz:*] Scribentibus nobis de prima
hominis
creatione, quotiens plura vel magis diversa ponimus, quam in libris Moysi scripta reperiuntur,
ydiote et invidi quidam subsannare videntur, asserentes, nos de propria adinventione

omnia, et non de auctoritatibus scribere, omnia illa que ipsi in bibliotheca nequeunt invenire, tamquam extra illam alie non essent auctoritates. Quapropter alias in presenti capitulo multos assignare curamus antiquatum auctores, ampliora scribentes, quam Moyses vel sancti patres scripsissent. A quibus ipse Moyses et Esdras et Iosephus aliisque veteris testamenti auctores, si voluerunt, poterant plurima didicisse. Immo pro certo credimus, quod ab eis plura didicerunt quam scripserunt. Primus itaque protoplastes Adam, quem omnium rerum scientiam et omnes artes legimus habuisse et post suam creationem diuturnitate temporum multa didicisse, potuit et voluit iuniores suos ea que ipse noverat edocere. Post quem filius eius Seth, qui usque ad portas paradisi legitur in Iosepho processisse, plura novit, et ad posteros ea transmisit. Cuius filius Enos docuit filium suum Caynan. Qui docuit suum filium Malaleehl. Ille etiam filium suum laret. Qui docuit Enoc. Ille autem filium suum Matusalem. Et ille filium Lamec, patrem Noe.

Ab Adam usque ad Noe sunt decem tantum generationes iste, quas diximus. Que omnes sese invicem videre et docere potuerunt.

Ultimus autem Noe et tres filii eius, qui nati sunt ante diluvium, potuerunt omnes priorum antiquitates ad posteros transmisse; et precipue filius eius Sem, qui ante diluvium centum annis natus est. Et legitur post diluvium 535 vixisse. Ille plurima vidi et docuit.[Page 135]

O vos, qui me legitis, viri litterati,
Super hoc volumine iudices vocati,
Si non satis fuerint versus elimati,
Indulgeri competit mee parviti,
Est enim huius operis tanta magnitudo,
Quo omnes ystorias et cronica includo,
Ut, dum per hoc pelagus iugiter insudo,
Cadat ab ingenio mentis habitudo,
Invoco scolasticos, supplico discretis,
Parvus in philosophis, minor in profetis,
Pauca de celestibus didici secretis,
Si quo minus dixerim, parcere debetis.
Invocatio actoris ad Deum, qui est principium omnium creaturarum.

Principium rerum primevaque gesta dierum
Scribere me doceat lumen de lumine verum,
Cuius ad obsequium mea vota ferunt.
Suscipte carmina, tolle precamina, vera sofia,
Sancta puerpera, portaque regia, virgo Maria,
Ut tua mente pia gesta referre sciām.

Abraam quoque inbutus omnibus artibus Caldeorum.
Et Berossus, qui omnes libros Caldaicos defloravit. Et Mochus, et Estius, et Ieronimus Egiptius. Et alii auctores barbari multa scripserunt. A quibus omnibus ystorias et auctoritates trahimus et tenemus et docemus.

De barbaris actoribus istoriarum a diluvio usque ad Abraham et qualia tempora fuerunt.

Estimant quidam, a tempore diluvii usque ad tempora Nini et Abrae nullas ystorias esse conscriptas. Quorum temporum Chaldeos et Egiptios scriptores subscriptos vixisse, Iosephus narrat.

Illorum autem unus, nomine Berossus, sic scribit: Navis Noe, que in Armeniam venit, circa montem Gordenim adhuc aliqua pars est. Item Manasseas Damascenus in libro ystoriarum suarum 87. de eadem causa dicit: Est et super Miliadum excelsus mons in Armenia, qui Paris appellatur, ad quem multos fugientes novimus a diluvio liberatos.

Item Iosephus dicit: Nemo putet falsa esse que dicta sunt ab hominibus prime etatis. Illi namque, tamquam noviter a Deo facti, diu viventes, et religionem sectantes, astrologie et geometrie vacabant. Quas scientias ibi ipsi discere non potuissent, nisi Deus vitam usque ad annos sexcentos eis ad spatium concessisset. Per tot enim annorum curricula magnus annus impletur. Cuius rei testes sunt omnes illi, qui Egyptiorum et Grecorum antiquitates primevas scripserunt; ut Mamenot ille, qui descriptionem fecit Egiptiorum, et Berossus, qui defloravit omnia scripta Caldeorum, et Mochus et Estius et Ieronimus Egiptius. Isiodorus quoque et Fratheus et Filaneus in hoc concordant.[Page 136]

Vos Cherubim simul et Serafim precor agmina celi.
O Michael, Gabriel, Rafael, precor ore fideli,
Oro, Deus Heli doctor adesse velit.
Ordo profeticus, omnis apostolus, ordo polorum,
Ordo monasticus, ecclesiasticus et populorum,
Surgite pro Christi laude, parate chorum.
Una est substantia trium personarum,
Scribere de singulis timeo non parum,
Nam pre magnitudine fugiunt ignarum,
Cum sit ineffabilis trinitas earum,
Tangens montem bestia debet lapidari,
Sic et ego timeo plecti pena pari,
Set per Christum postulo veniam prestari,
Cuius hic in laudibus volo delectari,
Seculorum secula scribere me rogatis;
Cerno, quod mirabile sit opus deitatis;

Inchoare possumus, perficere non satis;

Attamen incipiam nomine Dei patis.

P. 136 v. 6 post chorum addunt B1. D:] Carmina rustica seu puerilia plurima promo,

Ut tamen asserit istoriografus, omnia pono,

Non ibi figmentum cernere posset homo.

Pergit D:] Vos pueri, qui me legitis, qui metra notatis,

Parcite, ne gratis dictamina despiciatis.

Rara solent pueris dicta placere satis.

[INCIPIT LIBER PANTHEON GOTIFREDI VITERBIENSIS CAPPELLANI IMPERATORIS

FREDERICI ET FILII EIUS REGIS HENRICI VI. FINITUS AUTEM EST

ANNO DOMINI 1191.]

PARTICULA I.

De divina essentia ante omnem creaturam.

De mundi origine et omnibus eius etatibus etc.

PARTICULA II.

De angelis et de diabolo et de animabus sanctorum et de questionibus diversis inde movendis et earum solutionibus secundum sanctos.

Prima creatura fuit angelus alma figura etc.

PARTICULA III.

De celis et de planetis et de stellis et natura et motu earum.

Nunc labor incumbit species describere mundi etc.

PARTICULA IV.

De elementis.

Elementorum naturam et originem exponere intendentes, a summis actoribus accipiems

etc.[Page 137]

PARTICULA V.

De anima hominis diversas sententias habens diversorum philosophorum in quibusdam auctor est contra.

Omnium philosophorum sententia consumatum est etc.

PARTICULA VI.

De creatione Ade primi hominis et reliqua secundum Genesim.

Cum Deus ethera cunctaque sydera prima crearet etc.

PARTICULA VII.

A Noe usque ad Abraham et de questionibus inde movendis.

Solus homo Noe iustus Noe sanctusque vocari etc.

7. Egreditur Noe de archa cum filiis suis.

Egrediente patre, veniunt tres ordine fratres —

Iosephus et Moyses referunt hec omnia late,

A quibus optate cronica nostra patent.

Cham Sem cum laphet primos genuere parentes,

De quibus et vario posuit Deus ordine gentes:

Ut vultus hominum, sic variavit opus.

Quos peperit natura pares, quos patris honestas

Esse bonos voluit, depravat iniqua potestas,

Et cadit in vitium queque propago suum.

Parvula paucorum fuit hiis tunc turba virorum,

Moreque pastorum labor est et questus eorum,

Arte ferunt aratrum, vomere rura colunt.

Non erat armorum series, non templa deorum,

Idola non aderant illis, neque cultor eorum;

Quippe Deum solum cum pietate colunt.

Tunc neque papatus fuerat, neque pontificatus;

Non erat archatus, neque marchia, nec comitatus,

Non erat armatus miles in orbe datus.

Non erat ariolus, neque clericus ordine tonsus;

Non erat urbs, neque dux, neque rex, neque lex, neque consul;

Prelia non aderant, nec gladiator erat.

Non fuerant visa que nunc celebrata videmus.

Quis fuit inventor, vel ubi, vel quando, canemus,

Set variis titulis disparibusque modis.

Imperiale genus, quod et unde sit, ecce canemus;

Que species regum fuerit primeva, feremus;

Unde sit et regum linea, norma, genus.

Nec tamen in scriptis sermone caremus Ebreo,

Nam bene concordant mea cronica cum Moyseo:

Omnibus in titulis commemoramus eos.

Omnia regnorum passim loca, prelia pangam,

Gesta coequeva per singula tempora tangam,

Sic genus et species cronica nostra ferent.

.....[Page 138]

11. Iste generationes de semine lafet habitant in Europa.

Roma sub Europa fit, Grecia, Troia remota,

Francia, Pannonia, gens Teutona, Gallia tota,

Omnis et Italia, pluraque magna loca.

20. *De Trebeta filio Nini, qui edificavit urbem Treverim in Gallia.*

Filius est Trebeta de Nini semine regis, Cedere quem regno regina noverca coegit;
Ut pater elegit, regna noverca regit.

Pulsus abhinc Trebeta subiit Germanica regna,
Fundat ibi Treberim, fluvio presente Mosella;
Post eadem Treveris Belgica Roma fuit.

Trebete illius epitafium in civitate Treveri est hoc:

Nini Samiramis, que tanto coniuge felix,
Plurima possedit, set plura prioribus addit,
Non contenta suis nec totis finibus orbis,
Expulit a patro privignum Trebeta regno,
Insignem profugus Treverim qui condidit urbem.

PARTICULA VIII.

1. *De nativitate Abrahe.*

Abraham natus est etc.

PARTICULA IX.

1. *De nativitate Moysi in Egipto.*

Sicut arena maris numerosque sidera celi etc.

PARTICULA X.

1. *Lex Domini datur Moysi.*

Ascenderunt Moyses et Aaron etc.

PARTICULA XI.

1. *De morte Moysi et de Iosue duce populi Israel.*

Anno ab Adam 4046. etc.

PARTICULA XII.

1. *De Ely sacerdote Domini in Silo et de origine Samuelis.*

Iura sacerdotum Domini dum possidet Ely etc.

PARTICULA XIII.

1. *De exaltatione David in Ebron.*

Annos triginta David transcederat etas etc.

PARTICULA XIV.

1. *De exaltatione regis Salomonis.*

Salomon dilexit Dominum etc.[Page 139]

18. *Eneas moritur, et filius eius regnat pro eo Ascanius etc.*

Linea Troiana patet hic satis et loviana,
Regnaque Romana satis hoc sunt carmine clara.
Ammodo de Latio fistula nostra canat.
Monte Prenestino Troiana potentia primo etc.

Hec tempora erant, veniente Enea in Italiam, et veniente Antenore cum Priamo
iuniore in Pannoniam, et inde in Germaniam, de quibus in hoc loco versifice dicemus.

21. *De Priamo iuniore et de Antenore, qui postea vocati sunt Sicambri, et postea Germani,
et postea Franci, per idem tempus.*

Regibus Italicis positis, quos gignit Eneas,
De Priamo iuvene canat inclita nostra chorea;
Annuie, Musa mea, surge, canamus ea.
In duo dividimus Troiano semine prolem:
Una per Eneam sumpsit diademata Rome,
Altera per Priamum Teutona regna fovet.
Prole sub Enee veniunt reges memorati,
Nunc decet ut Priami scribantur in ordine nati,
Clara fit hiis titulis tota propago satis.
Ammodo Teutonica sublimia gesta notabo;

Ad Priamum venio, de quo generosa propago
Transiit ad Gallos, cuius et acta dabo.

A Priamo Priamus iuvenis pariente sorore
Prole nepos oritur, patruo recolendus honore,

Cuius et istoriam promere Musa volet.

P. 139 v. 2 ante linea praemittunt B. C. D:]

Hic incipit historia Romana.

Hactenus ystorica series precessit Hebreia,

Amodo precedant titulis Romana corea,

Denique Iudaica iure sequuntur ea.

Nec veteris testamenti referenda relinquam.

Gesta coequeva recolens communiter inquam,

Ponoque posterius quod patet esse prius.

Nec mirum, si posterius ponantur Ebrea,

Imperium quia Romanum tulit inde trofea,

Viribus et gladiis suppeditavit ea.

Si Latii reges numero cupis ipse tenere,

Nomina catalogo potes hic distincta videre,

Ordine quo peteres cronica nostra ferent.
Pagina nostra sonat, quo nascitur ordine Roma,
Qua tulit imperii Cesar probitate coronam,
Karolus et reliqui Romula gesta tonant.[Page 140]

Antenor Priamusque simul veniunt ab Achivis,
Illyricosque sinus penetrant populusque viriliis, Qui comitatur eos, detulit arma sibi.
Ducta per Illiricum vexit ratis alta leones,
Migrat in Hungariam, que fertilis obtulit omen;
Terra satis placuit; gaudia multa movent.
Arte parant urbem simulantem menia Troie,
Que male vicinos post ad servilia coget, Sic ut eos reges terra subacta roget.
Urbs ornata viris nova dicta Sicambria crevit,
Multiplicata nimis Troiana potentia sevit,
Percutit et ledit, sepe cruenta reddit.
Cum foret innumeris urbs illa referta patronis,
Iam parat ut reprimat Germanica regna colonis,
Igne, fame, gladiis innumerisque dolis.
[Cepit ab his Germania cis Alpes habitari,
Et populi sic Germani meruere vocari;
Renus ibi fluvius Danubiusque salit.
Frantia post dicta Germania noscitur ipsa,
Ex qua Francorum regum natura patrissat.
Post quoque Francigenis nomen abinde fuit.]

45. *De Agrippa rege Albanorum contemporaneo [et de Sicambris].*

[Per idem tempus Sicambi invadunt fines Bauguarorum usque Pataviam urbem,
ubi Enus fluvius cadit in Danubium].

P. 140 v. 24 post per notavit Pertz in A auctorem variis locis sequentia interponere:]

De Sicambris.

Nunc equitum decies millena Sicambria claudit,
Tota quibus post hec Germania victa subaudit.
Arma Sicambrorum iam timet omne solum.

De Sicambris.

Impetus armorum reboat procerum Priamorum,
Ense Sicambrorum nomen sonat urbis eorum:
Hoc sibi precipuum nomen habere volunt.

De Sicambris.

Octo duces magnos centenos circiter annos
Istis temporibus populi tenuere Sicambros,
Quorum tam plane nomina scripta manent:
Antenor, Priamus, Troius, Troianus, Erinus,
Ector, Alexander, plenus probitate Carinus,
Nonus Gualdinus, nil probitate minus.

De Sicambris contemporaneis.

Regna Sicambrorum retinet Troiana iuventus,
Cuius ab eventu capiuntur regna potentum,
Ense Sicambrorum tollitur omne solum.

. [Page 141]

Nunc gentem Ligurum pulsant feritate Sicambrini,
Edificant Paduam, cui litora porrigit ampnis
Et Terguisinos Ylliricosque sinus.

De Sicambris.

Climata Baguarica Troiana Sicambria vicit,
Et Carentani nunc efficiuntur amici,
Valle Tridentina fit nova facta via.

De Sicambris, qui et Germani postea erunt, contemporanei.

Nunc Mediolanos socios habuere Sicambrini,
Viribus illorum suffulti pluribus annis,
Tunc Brixanorum preripuere solum.

De Sicambris illius temporis.

Progenies Priami Ligurum capit undique plana,
Amode montana satagit captare Cumana,
Qua valide trutte vivere semper amant.

50. *De Aremo Silvio rege Albanorum contemporaneo [et de Sicambris].*

[Per idem tempus Sicambi impugnant Baguariam]

56. *De Procace rege Albanorum et de Sicambris per idem tempus.*

In diebus Salmanasar et filii eius Sennacherip Sicambri obtinent Baguariam usque Ratisponam, et tunc Procax rex Albanorum regnabat in Latio.]

PARTICULA XV.

1. In diebus transmigrationis Babilonie incipit Roma princeps principum et domina dominantium.

Summa fit ex minima sub Martis sidere Roma etc.

25. *De origine Suevorum et natura eorum et de actibus eorum et Senonum Gallorum.*

Acta Suevorum post hec et bella canemus,

Gallorum Senonum gentem secum referemus;

Hic loquar, unde fuit gens et origo sui.

Que bona, qui mores sibi sint, quo gaudet honore,

Qua regione sedet, quo sit recolenda decore,

Cur prior in bello signa vel arma movet.

Orbe Macedonico peperit natura Suevos;

Tempore grandevos, proceres, ad prelia sevos,

Ingenio validos littera narrat eos.

Terra Suevorum prius extitit Ytalicorum;

Mucro Macedonicus populos eiecit eorum,

Marteque proripuit plaga Sueva solum.[Page 142]

Iudicio celi dominantur in orbe Suevi.

Culmen ad imperii gens audacissima venit,

Iam sua proienies Romula regna regit.

Militia diri, cupiunt ad dira requiri.

Cesar ab his meruit diadematis orbe potiri,

Regnaque sortiri, marte calore viri.

Nunc ubicumque geri res publica prelia querit,

Ordine primus erit, gladio vult primus aberi,

Moreque signiferi primus in hoste ferit.

Corpore sunt graciles, agiles et robore magni,

Actibus ancipites sunt more leonis et agni, Mitis et austeri militis acta gerit.

Hospita terra satis sua dat convivia gratis,

Vinetis et agris ibi copia fertilitatis,

Arboribus, pratis, flumine, pisce, lacis.

Fons ibi Danubii primum nanciscitur ortum,

Cui facit Hungaria, Rutenia, Grecia portum;

Alpibus Italie terminus eius adest.

Per medium patrie Reni decent acta referre.

Renus ab Alpe cadens, medius rigat intima terre,

Castrorum late copia multa patet.

Renus ab antiquis describitur esse Lemannus,

Indeque nonnulli referunt dictos Alemanno,

Set vox equivoca nomina falsa parat.

Illud ego nomen alia video ratione:

Quicquid prisca sonent, quod sentio, littera promet,

Lector abhinc capiat, que magis apta sonent.

Alle sonat totum, man vir, si Teutona lingua

Hec duo coniungat, totum vir littera signat,

El geminata satis nomina clara facit.

Hiis ita dimisis quibus acta Suevica scripsi,

Rursus ad istorias mea penna recurrere gliscit;

Ad Gallos Senones, dactile, verte pedem.

26. *Senones Galli et Suevi intrant Italianam.*

Anno ab Urbe condita 364. Suevi et Senones Gallii, id est Burgundiones, Allobrogi, sub duce Brennio

Italianam intrant, Romam petunt etc.

27. *Istoria de Brennio duce Suevorum et Senonum Gallorum per idem tempus.*

Incoluit centum primeva Suevia pagos,

Non urbes, non castra volens, set rura vel agros,

Erudiens diros semper ad arma viros.

P. 142 v. 3 post regit addit A:] Prole Suevorum stat gloria Teutonicorum,

Gens ea fit regum genitrix genitiva suorum,

Et perit imperii publica iura sui.[Page 143]

Metropolim fingunt populi cognomine Cimbrum,

Quam bene perstringunt armis, non aggere cingunt;

Nam sua dextra fera murus et agger erat.

Quando super gentes exercitus ibat eorum,

Mille viros pagus dabat unus et arma virorum:

Sic sibi centena milia semper erant.

Brennius ipsorum dux extat et Allobrogorum,

Viribus illorum dux predo fuit populorum,

Diripuit spolium, terruit omne forum. Sublato rerum spolio raptisque tributo,

Hec eadem repetit, rediens anno revoluto,

Et patrie populis dividit illa suis.

Rursus in estate populo fruges reparante,
Eligit ex pagis tot milia sicut et ante,
Et reddit ad spolia dux feritate sua.
Munera promissa spernit, presentia querit,
Quod manus arripuit, hoc solum credit haberi,
Quod videt hoc credit, despicit id quod erit.
Nullos constituit reditus censusve futuros,
Presentes tantum questus reputat valituros,
Unde queat populos magnificare suos.
Sede Bisuntinus fuerat tunc rex Seguinus,
Cuius erat Sauna fluvius Rodanusque marinus
Primaque pars Araris Allobrogusque sinus.
Cum loquor Allobrogos, fluvium perpende Labriam,
Qua fuit urbs quondam grandis, velut altera Troia,
Nomen Avenza fuit, que peritura ruit.
Illa superborum viguit feritate virorum,
Marte Suevorum periit primatus eorum,
Decidit armorum cultus et omne forum.
Uxor erat Brenni Seguini filia regis,
Cuius ab auxiliis dux Gallica regna subegit,
Sequana cum Ligeri Brennica signa vehit.
Fecit apud Gallos Senonensem Brennius urbem,
Qua residens, hostes per eam bellando perurget,
Cuius et auxiliis Britona regna tulit.
Cum loquimur Senones, hoc Sauna parit tibi nomen,
Inde sunt Senones, qui quondam menia Rome
Vicerunt, quorum Brennus erat dominus.
Defuncto socero, fit regni Brennius heres,
Qui modo Romanum regnum confisus habere,
Intrat in Ytalias, agmina multa ferens.
36.
Tunc super Allobrogos viguere Sicambra trofea,
Signa veretur Arar, speciosa timet Basilea,
Fertilis Alsatia gesta veretur ea.[Page 144]

PARTICULA XVI.

De restauratione templi et de regibus Persarum usque ad Alexandrum
Magnum et de Sibilla.

1. *De rege Persarum Dario, filio Istapis, qui templum Domini restauravit.*

Darius iste, filius Istapis etc.

6.

Intima Danubii nunc preripiure Sicambri,
Tollere iam satagunt que Baguarus irrigat amnis,
Inclita Patavie climata victa favent.

11.

Signa Sicambrina Troianaque prelia magna
Sentit et orrescit validissima gens Alemanna,
Terraque Germana rura tuenda parat.
Regnum Baguaricum nunc arma Sicambria tollunt,
Litora Danubii sibi vectigalia solvunt,
Prelia iam Renus reddit ad arma ferus.

21. *Sicambrri eodem tempore Iermaniam occupaverunt, unde extunc Iermani sunt appellati.*
Iam quasi quingentis tempus defluxerat annis,
Cum sua Germanis infligunt bella Sicambrri,
Igne, fame, gladiis innumerisque malis.

Litora Danubii pretiosaque litora Reni
Allexere duces, fluvique meatus ameni, Terraque luxurians dicit: *Amande, veni.*

Tanto quippe nitet super omnia regna decore,

Ut domini nimio Reni capiantur amore,

Unde sibi patrias has retinere volent.

Ammodo Germani cupiunt de more vocari,

Moribus et lingua cum Teutonicis variari;

Lingua magis placuit, qua Mogus amne cadit.

Proienies Priami Germanica nomina querit,

Et cupid a Reno populus Germanus haberit,

Terra Sicambria perit, nemo Sicamber erit.

23. *Quod Iermani et Romani a Troia venerunt, et quasi pares et confratres sunt estimandi.*

Dum fortuna duces Germanos leta decorat,

Crescit et alta sonat super omnia climata Roma,

Cuius ad imperium prelia magna tonant.

Hanc quasi reginam metuit satis hora marina,

Terra Cisalpina timet adventante ruina,

Set loca Germana gaudia magna parant.

Nam quos Troia suos olim generavit alumnos,

Romanos et Germanos videt undique summos,

Et quasi consocios semper habebit eos.
Esseque Romanum Troianum causa fatetur,
Germanus patriota suus fraterque videtur,
Mater eis populis Troia vetusta fuit.
Nec populo populus nunc armis subicietur,
Set regni quasi consocius fraterque putetur,
Pace simul coeunt, publica iura petunt.
Germanus populus civis Romanus habetur,
Communis populus regnum commune tenetur, Set tenet imperium Roma regitque decus.[Page 145]

24. *De omnibus Sibillis, et de nominibus earum, et de patria et origine et actibus ipsarum a diebus Alexandri Magni.*

Sibyllae generaliter omnes feminae dicuntur prophetantes etc.

Et post hec surget rex Salicus de Francia per K nomine; ipse erit magnus et piissimus, potens et misericors, et faciens iustitiam pauperibus. Tanta enim erit in eo virtutis gratia, ut per viam gradientem arborum contra eum inclinantur cacumina. Aqua enim occurrentis minime cursum eius tardabit. Similis autem imperio Romanorum rex ante non fuit, nec post eum futurus est. Et veniet rex post eum per L nomine, et post hoc regnabit L, et post L [annis] triginta, et de L egredietur A, et ipse A erit nimis bellicosus et fortis in prelia, et multus erit per terram sive per aquas; et non dabitur in manibus inimicorum, et morietur exul extra regnum, et in manu Dei anima eius erit. Tunc exsurget rex per V nomine, et ex una parte Salicus et alia Longobardus, et ipse habebit in terra potestatem contra pugnantes et contra omnes inimicos. Et in diebus illis procedet rex per O nomine, et erit potentissimus et fortis et bonus, et faciet iustitiam pauperibus, et recte iudicabit; et de ipso procedet alias O potentissimus, et erunt sub eo pugne inter paganos et christianos, et sanguis Grecorum effundetur, et cor eius in manu Dei, et regnabit annis 7; et de ipsa muliere nascetur rex per O nomine: hic erit sanguinarius et facinorosus et sine fide et veritate. Et per ipsum multa erit malitia in terra, et multa sanguinis effusio, et delectuere erunt ecclesie in ipsius potestate. In aliis namque regionibus tribulationes erunt multe et prelia. Tunc surget gens contra gentem in Capadociam, et Panfiliam captivabunt in illo tempore, eo quod non intravit per ostium in ovile. Hic namque rex regnabit per annos 4. Et post eum surget rex per H nomine, et in diebus eius pugne multe erunt [inter Agarenos et Grecos et paganos], Siriam expugnabunt, et Pentapolim captivabunt. Ipse enim rex erit ex genere Longobardorum. Tunc exsurget alias rex Salicus per C nomine, et expugnabit Longobardos, et erunt prelia et pugne. Ipse autem Salicus erit fortis et potens, et paucis temporibus erit regnum eius. Tunc exsurgent Agareni et tiranni, et captivabunt Tarentum et Baro; et multe civitates depredabuntur. Et erunt volentes venire Romam, et non est qui resistat eis nisi Deus deorum et Dominus dominorum. Tunc venientes Armeni Persidem disperderent, ita ut non recupererentur civitates, quas depredabunt, et accurrentes ipsi ponent fossas iuxta orientem, et expugnabunt Romanos, et obtinebunt pacem aliquantis per. Et intrabit rex Grecorum, vir belligerator, in Neapolim, et destruet templum idolorum. Et veniet locusta et brucus, et comedent omnes fructus Capadocie et Cilicie, ac fame cruciabuntur; et postea non erit amplius. Et consurget rex Salicus alias per H, vir fortis et belligerator, et indignabuntur contra eum multi vicini et parentes. In diebus illis tradet frater fratrem, [pater filium, frater] cum sorore commiscebitur, et multa nefanda hominum erunt in terra. Senes cum [junioribus] virginibus cubabunt, et sacerdotes mali cum deceptis puellis. Episcopi malefactorum sectatores erunt, et fiet effusio sanguinis in[Page 146]

terra, et templo sanctorum polluent. Et erunt in populo fornicationes et immunditiae et Sodomiticum scelus, ita ut visio ipsorum in contumelia eius appareat. Et erunt homines raptiores, contumeliosi, odientes iustitiam et amantes falsitatem, et iudices Romani immutabuntur. Si hodie ad iudicandum admittuntur, alio die mutabuntur propter pecuniam accipiendam, et non iudicabunt rectum, sed falsum. Et erunt in illis diebus homines rapaces, cupidi et periuri et amantes falsitatem, et destruetur lex et veritas, et fiet terre motus per loca diversa; et insularum civitates et regiones dimergentur. Et erunt per loca pestilentie hominum, et terra ab inimicis desolabitur; et non prevalebit consolari eos vanitas deorum. Postea exsurget rex per H nomine. Et erunt sub illo bella, et 12 annis regnabit. Et post hunc surget rex per F nomine, et veniens obtinebit, et regnabit longo tempore, et veniet Romam, et captivabit eam, et non mortificabitur anima eius in manu inimicorum ullis diebus vite sue. Set erit bonus et magnus, et gentem christianam magnificabit, et ipse vivet multo tempore. Post hec vero surget alias rex per H nomine; et de ipso H procedent duodecim H, et erit de genere Longobardorum et Teutonicorum; et regnabit per annos centum. Tunc post eum exsurget rex H nomine, Salicus de Francia. Tunc initium dolorum erit, qualis non fuit ab initio seculi. Et erunt in diebus ipsius multe pugne et tribulationes multorum et sanguinis effusio et terre motus per civitates et regiones, et terre multe captivabuntur, et non erit qui inimicis resistat, quia Dominus iratus erit in terra. Roma in persecutione et gladio expugnabitur, et erit deprehensa in manu ipsius regis. Et erunt homines rapaces, cupidi, tiranni, odientes pauperes, opprimentes insolentes et salvantes noxios. Eruntque iniusti et nequissimi, et dominatores exterminii captivabuntur; et non est in terra, qui pro eis resistat et eruat eos, propter malitias eorum et cupiditates. Et tunc exsurget rex nomine et animo Constans; et ille idem Constans erit rex Romanorum et Grecorum. Hic statu grandis, aspectu decorus, vultu splendidus, atque per singula membrorum lineamenta

decenter compositus, et ipsius regnum 122 annis terminabitur. In illis ergo diebus erunt divitie magne, et terra habundanter dabit fructum suum, ita ut tritici medium denario uno venundetur, medium vini denario uno, medium olei denario uno. Et ipse rex scripturam habebit ante oculos dicentem: *Rex Romanorum omne sibi vindicat regnum christianorum*. Omnes ergo insulas et civitates paganorum devastabit, et universa ydolorum templa destruet, et omnes paganos ad baptismum convocabit, et per omnia templa crux Christi Iesu erigetur. Tunc namque preueniet Egiptus Ethyopiam manus dare Deo. Qui vero crucem Iesu Christi non adoraverint, gladio punientur. Et cum completi fuerint 122 anni, Iudei convertentur ad Dominum, et erit ab omnibus sepulchrum eius gloriosum. In diebus illis salvabitur Israel, et habitabit confidenter. In illo tempore surget princeps iniquitatis de tribu Dan, qui vocabitur Antichristus. Hic erit filius perditionis, caput superbie, magister erroris, plenitudo malitie, qui subvertet orbem, et faciet prodigia et signa magna per falsas simulationes; deludet autem per artem magicam multos, ita ut ignis de celo descendere videatur. Et minuentur anni sicut menses, et menses sicut septimana, et septimana sicut dies, et dies sicut hora. Et exsurgent ab aquilone [Page 147]

spurcissime gentes, quas Alexander rex inclusit, Goth videlicet et Magoth. Hec duodecim regna, quorum numerus est sicut arena maris. Cum autem audierit hec rex Romanorum, convocato exercitu debellabit eos, atque prosternet usque ad internitionem. Et postea rex veniet Hierusalem, et ibi deposito capitis diademe et omni habitu regali, regnum christianorum Deo patri relinquet et filio eius Ihesu Christo. Et cum cessaverit imperium Romanum, tunc revelabitur manifeste Antichristus, et sedebit in domo Domini in Hierusalem. Regnante autem eo, egredientur duo clarissimi viri, Helyas et Enoch, ad annuntiandum adventum Domini; et Antichristus occidet eos, et post dies tres a Domino resuscitabuntur. Tunc erit persecutio magna, qualis non fuit antea, nec postea subsequetur. Abbreviabit autem Dominus dies illos propter electos, et occidetur virtute Domini Antichristus a Michaele archangelo in monte Oliveti.

PARTICULA XVII.

Principium istorie magni Alexandri, filii Philippi Macedonis, usque ad Machabeos et reges Antiochos, inserendo Romanas istorias sibi contemporaneas et istoriam Apollonii Tiri.

Mortuo Philippo rege Grecorum anno ab Adam 5888. etc.

PARTICULA XVIII.

1. *Qualiter regnum Alexandri divisum est in duodecim partes post mortem eius.*

Alexandro mortuo in Babilonia etc.

6. *Istoria gentis Saxonie, qualiter venit de Macedonia post mortem Alexandri.*

Nunc bene procedo, dum tempora Saxonis edo.

Saxo, velut credo, patria fuit ante Makedo,

Regis Alexandri miles amandus eo.

Rege diem functo, tulit a Babilone meatum,

Circuit Italiam ratibus, veniens Arelatum,

Sibilieque Faron, transit in Occeanum.

Inde per Occeanum Britanica litora transit.

Flandria pertimuit, set nec sine clade remansit;

Guisara Saxonica terminus eius erat. Respice tu, lector, cui regna notamus avorum,

Non tunc Saxonicum fuerat cognomen eorum,

Inmo Turingorum crede fuisse solum.

Arva Turingorum dum forte Makedo capescit,

Prelia conpescit, simulans, quasi prelia nescit,

More suo pretio querit abinde cibos.

Fraudibus hostenta mercator habens alimenta,

Falsaque frumenta vendit, mercede retenta,

Vendit ei cara, nec sine fraude parat.

Plenus erat terra falso velamine saccus,

Desuper hostensus, pretio dum creditur aptus,

Inferius late vendita terra patet. [Page 148]

Fraude revelata, gravis est derisio nata,

Et nimis irata doluit gens ludificata;

Unde ferunt patriam venditione datam.

Consilium capiunt, ut vendita terra seratur;

Quicquid enim seritur, ratio iubet ut repetatur.

Semine sic illis vendita terra datur.

Dum iacet in saccis, carissima terra tenetur,

Nam per eam patria sibi tradita tota videtur,

Saxo rapit penitus litora, rura, decus.

Fraus mala saccorum fuit incentiva malorum,

Fraude Turingorum mors et labor instat eorum,

Iure Macedonibus tollitur omne solum.

Hinc oritur guerra; seritur pro semine terra,

Terra super terram patriam facit insita servam,

Nisi Turinga dolo stat viduata solo.

Mentis in ardore dat bella Makedo furore,

Victa Turinga dolens fugit hinc aspersa rubore,
Pacis opus petit, fedus inire volens.
Federis actores pacis posuere tenores,
Ut patriam pariter teneant, lucentur honores,
Armaque per populum nulla ferenda fore.
Pax ubi congeritur, sub fraude Macedo veretur,
Ne male frustretur, si totus inermis habetur,
Unde breves gladios clam tulit arte secus.
Ipse brevis gladius apud illos saxo vocatur,
Unde sibi Saxo nomen peperisse notatur,
Hiis quoque cultellis vita redemta fuit.
Ordine pacifico dum terra quieta locatur,
Undique Saxonibus sua mors occulta paratur,
Utque dolo pereant, torva Turinga parat.
Fraude mori dignus sua congerit arma Turingus,
Pacis habens pignus, movet ardua bella malignus,
Irruit in proceres, arma dolosus habens.
Saxo suo more cultro defendit honorem.
Hostibus ingeritur audacior ipse leone,
Ictibus eripitur, victa Turinga dolet.
Gentis honorate viguit Victoria late,
Nam quoscumque placet, superant solita probitate.
Quod loquor ecce patet, subdita terra iacet.

P. 148 v. 9 post decus addit A:] Lege Macedonia sic tollitur arbor et herba,
Libera que fuerat precio stat vendita terra;
Hanc ubicumque serit, terminus eius erit.

P. 148 v. 18 post volens addit A:] Victa dies pacis petit a feritate minacis;
Saxo dedit gratis prius hostibus expoliatis,
Federa dant pacis plenaque fraude satis.[Page 149]

PARTICULA XIX.

1. *De rege Antiocho Epiphane, fratre Seleuci, in principio Machabeorum.*
Epiphanes frater Seleuci surgit et est rex etc.

PARTICULA XX.

Incipit novum testamentum.

Set primum de genealogia sancte Marie etc.

Anna et Esmeria etc.

PARTICULA XXI.

1. *De prelio inter Cesarem et Pompeium facto in Thessalia per Emathios campos usque ad Christi nativitatem tempore Octaviani primi imperatoris Romanorum.*
Anno ab Urbe condita 710. etc.

P. 149 v. 3 post etc haec tempore Ionathae Machabaei addit A:]
Cronica incidentia de Sicambris, qui et Germani et Franci postea dicti sunt.

Tempore quo Reni patriam tenuere Sicambri,
Edificant urbem, qua pulcrior effluit amnis,
Et quasi Troiana menia pulcra parant;
Nam fluit in Renum currens ibi flumen amenum,
Troiano fluvio similis, nomenque dederunt
Dicendum Sanctis, sicut non ante fuit.
Hec ubi cuncta simul fluviorum litora turgent,
Troiano similem princeps sibi construit urbem
Constituitque lares nobilitate pares.
Hanc urbem Sanctis rex Atila perdere sanxit.

Nomen ibi Sanctis tunc urbe cadente remansit,
Sicut adhuc plane nomina vulgus habet.

P. 149 v. 11 post etc addit A post Caesaris historiam:]
De Francis quomodo rebellant Romanis.

Cesare defuncto, rota Francorum variatur.
Cum foret Augustus tunc cesar in Urbe levatus,
Orrida Germanis iussa minasque parit.
Mandat enim Francis, solvantur ut inde tributa,
Quos neque legatus neque litera more salutat,
Set nimis arguta lege petenda putat.
Scripta legunt cleri; cesar fiscalia querit;
Francus servus erit, nisi se velit ipse tueri.
Qui legata gerit, nuncius ense perit.
Iam decus et meritum simul amisisse putatur,
Iura sue patrie nisi iam gladio tueatur:
Nuncius Egidius perdidit ense caput.
Nunc opus est Franco sic consilio moderari,
Si qua contigerit Romano marte gravari,
Possit ut armari viribus arte pari.
Alto consilio statuunt sibi concito regem,
Sub quo communi censemur vivere lege:

Sede Maguntina rex sua regna reget.

Ante particulam XI. vel XV. haec praebent B. C. D:]

Prohemium actoris, continuantis istoriarum diversitatem.

Post opera Domini nostri Iesu Christi et post ascensionem eius in celum, sive etiam post adventum Spiritus sancti, necnon post apostolorum predicationem, de quibus iusta parvitas [Page 150]

nostrae modulum locuti sumus, sequitur, ut de Romanis pontificibus, qui sunt caput omnium Christianorum, dicamus, [videlicet, quod nomen habuit ille vel ille, quot annis sedet et sub quo imperatore, et quid operatus est in vita sua, et qualia tempora habuit, ponendo annos et menses et dies eorum. Verumtamen quia in principio libri huius in tractatu Isagogarum, circa finem earum sub specie introductionum plenissime de eis diximus, et etiam quia in tractatu imperatorum omnium unicuique imperatori singillatim sui temporis pontificem sive pontifices apposuimus, et quia tam imperatoris quam pape annos et menses et dies atque gesta ex parte distinximus, supervacuum et honerosum videtur, eosdem pontifices hic tertio loco repetere et lectorum oculos vel aures auditorum gravare. Quicumque igitur de Romanis pontificibus plenam cupiunt habere notitiam, in principio huius libri circa finem introductionum eos requirat]. Quod si apostolicos simul cum imperatoribus positos cernere magis appetit, in tractatu omnium imperatorum capiat lectionem. Ubi a Iulio Cesare usque ad Karolum, et a Karolo usque ad dominum imperatorem Fridericum, et successorem filium eius Henricum regem planissime inveniet nomina et tempora et annos et menses et dies eorum et apostolicorum; et quot pontifices fuerunt sub unoquoque imperatore. Gestae autem eorum non omnia, cum sit impossibile, set magis necessaria atque auditu delectabiliora inveniet; in quibus cuiuslibet hominis animus poterit iocundari et erudiri.

Quia igitur nascente Christo imperatores esse ceperunt, congruum esse conspicimus, iuxta Christi tractatum nomina et gesta ponere imperatorum: Christi enim et imperatorum origo et gesta et tempora simul omni tempore currunt. Et de gestis Christi vel apostolorum vel pontificum Romanorum aut aliquorum sanctorum nichil dicere possumus, nisi etiam tempora imperatorum tangamus et plerumque gesta pontificum Romanorum cum imperatorum gestis et temporibus misceamus.

Itaque ab hoc loco in antea, a primo Cesare Iulio et a primo imperatore Octaviano Augusto incipiems; de quibus scribendo, novum testamentum et acta sanctorum cum eis contemporaliter, auctore Domino, proferemus.

2. *De exaltatione Octaviani imperatoris, quem Romani voluerunt vocare suum deum, qui regnavit annos 53.*

Erigitur vir mirificus rex Octavianus,
Germine Romanus, formosus, ad omnia planus,

Militia validus, munere larga manus.

[Quadraginta tribus annis fuit ante levatus,

Quam foret in terris Christus de virgine natus.

Pax fit in orbe soli, pax et ab arce poli.

Oscula dat cum iustitia pax celitus orta.

Terrea pax et celica pax bona consona portant.

Pax peperit pacem, pax geminata placet.]

Fit gladius vomer, fiunt de cuspide falces,

Mars siluit, pax emicuit, miles fuit auceps.

Nascentis Christi tempore pax redit.

Octavianus tunc potuit deus ipse vocari,

Nam bonitate sui meruit reverendus amari,

Mundus eum coluit totus honore pari.

Urget eum populus, solus deus ut vocitetur;

Ipse timet, si maior eo postac orietur,

Ne pereat nomen, perdat et ipse decus.

[Querit in auguriis ventura magisque requirit,

Si deus in terris vel homo potuisse oriri, Qui valeat tanti tollere iura viri.]

Maxima tunc Roma Capitolica stabat imago, [Page 151]

Cuius in hoc titulo lectoribus acta notabo,

Atque Sibillino docmate dicta dabo.

Grandis ymago nimis potuit vix recta levari

Sepe levata satis, nulla valet arte iuvari,

Quin cadat ulterius, nam recidiva cadit.

Unius vetule tandem datur arte levari,

Cuius et ingenio potuit sic ipsa locari,

Ne cadat ulterius stetque vigore pari.

Set nec adhuc populus stabat sub ymagine tutus;

Demon ab hac statua sic est in plebe locutus:

Cum virgo pariet, tunc et imago cadet.

Turba negans partum de virgine posse creari,

Credidit hoc dicto statue rem perpetuari,

Dicens, quod numquam germina virgo parit.

Octavianus ad hec rex consultit ore Sibillam,

Ut Christi causas referat. Cui rettulit illa:

Maior te veniet, signa futura vide.

Arte Sibillina patuit sibi celitus ara,

Qua videt angelica manifestius agmina clara

Que puer regi celica regna parant.
In gremio matris stabat sapientia patris,
Dextra coronati pueri dat dona beatis,
Celitus emicuit gloria multa satis.
Cesar ait: *Video miracula milia mille.*
Territus obstupuit nimium dixitque Sibille:
Heu, minor hoc puer sum reputandus ego.
Scribe, Sibilla, michi, quisnam puer ille vocatur,
Quisve pater suus est aut que regina putatur,
Quod sibi fit regnum, quod diadema datur.
Retulit illa: *Dei Deus est de flamme natus,*
Virginis ex utero sine seminis arte creatus,
Perdita colligere rex sine fine datus.
Desine, cesar ait, Deus amodo nolo vocari,
Ille puer Deus est, quem mundus habet venerari,
Cui favet angelicus celus et unda maris.
His dictis, cesar puerum devotus adorat,
Nunc aras et thura parans offerre laborat;
Prima Deo celi tunc ibi thura dedit.
Post annos quinquagenos mensesque decenos,
Spiritus Augusti reddit sua tempora celo;
Surgit Tyberius nomine functus eo.
3. *De fonte olei qui fluxit in Tiberim.*
Magna taberna fuit tunc emeritoria dicta,
Emeritis ascripta viris, viteque reicta,
De qua fons olei fluxerat in Tiberim.
P. 151 v. 14 post parit addit A:] Tempore longevo cum grandis ymago stetisset,
Virgo parit, sed ymago cadit; que cum cecidisset,
Grandis in Urbe fuit clamor: *Ymago ruit.*
Verba prophetie cognoverat Octavianus
Atque putat iterum quod dixerat hoc simulacrum,
Credidit et natum virginitate datum.
et pergit.] Scire futura volens rex consultit ore Sibillam
Et petit ut causas etc.[Page 152]

Unde Sibilla canit: *Tellus sudore madescet;*
Et reliquos versus, quibus hec tibi causa patescit.
Si super hiis dubitas, scripta Sibilla legas.

Anno ab Urbe condita 766, anno vero ab incarnatione Domini 15, Augustus cesar anno imperii sui 56.
die suo functus est. Cui Tyberius, privignus eius, in regnum successit. Ille moderantissime gubernans rem publicam,
nec cives intus iniuriavit, nec foris bellorum movit tempestates. Quarto autem imperii eius anno, id est ab incarnatione
Domini 19, Germanicus, filius Drusi, pater Gallicule, de lermanis triumphavit. In tantum autem tunc temporis humanus
fertur fuisse Tyberius, ut, dum agenda tributa presides suaderent, responderit, boni pastoris esse, pecus tondere, non
deglutire. His diebus miles quidam scelerosus in templo Ysidis Paulinam matronam, neptem Tyberii, dolo
circumventam stupravit; sicut post illud capitulum inferius versifice continetur.

4. *De Iohanne Baptista per idem tempus.*

Anno ab incarnatione Domini 30, anno vero Tiberii cesaris 15, cum iam in Iudea quatuor principes, quos Greci
tetrarcas vocant, Archelao mortuo, presiderent, Iohannes in deserto baptismum penitentie incipit predicare. Ad cuius baptismum
dominus Ihesus aquas sanctificaturus advenit; atque extunc predicare et facere miracula coepit. Elegit
enim principes 12, quos apostolos appellavit. Inter quos pro bono unitatis unum constituit principem Petrum. Post
quos viros 72 posuit discipulos. Brevi post hec tempore interiecto, Iohannes de incestuoso conubio arguebat Eodem;
propter quod in carcerem ponitur; et in die natalis Erodis iusta euangelium inter epulas necatur. Id ipsum Iosephus
refert, bellumque maximum pro eo exortum inter Aretham regem Arabum et Eodem; ubi triumphavit Aretha. Dixit
autem Iosephus, hec propter peccatum quod in Iohannem Erodes perpetraverat, accidisse. Hec dixit Iosephus de
Iohanne. De Christo autem idem Iosephus sic scribit: *Fuit isdem temporibus Ihesus, sapiens vir, si tamen virum eum*
nominari fas est. Erat enim mirabilium operum effector doctorque hominum eorum qui libenter ea que vera sunt audiunt;
et multos quidem Iudeorum, multos etiam de gentibus sibi adiunxit. Et credebatur esse Christus. Hunc, qui ab initio
eum dilexerant, accusatione primorum nostre gentis virorum cum Pilatus in crucem agendum eum esse decrevisset, non
deseruerunt. Apparuit enim eis tertia die iterum vivus, secundum quod divinitus inspirati prophete hec et alia de eo innumerabilia
miracula futura esse predixerant. Set et in hodiernum christianorum, qui ab ipso sunt nuncupati, et nomen
perseverat et genus.

Hec propterea ego Gotifredus de religione nostra doctissimi viri Iosephi Iudei in hoc loco testimonium
posui, ut hostenderem, Iudeos de adventu Christi non ignorare; set ad damnationis sue augmentum invidia eos excecatos
vera de Christo credere noluisse. Cetera de Tyberio cesare et de Christo et de actibus eius
versibus elucidanda ponemus.

5. *Item de Tiberio imperatore et de Christo versifice narratur, qui regnat annis 13.*

Tiberio Rome nunc subiciuntur honores;
Cuius ad imperium sevus damnatur Herodes,
Pilatus capit; gens homicida dolet.
Iudice Tiberio Titus cum Vespasiano
Vindicat in populo Christum, gladio mediano,
Postulat hoc ratio, vult crucifixia caro.
Exiit edictum sub cesare, scribitur orbis.
Cetus apostolicus iam mundat clima morbis,
Et videt, in celum iam remeare Deum.

Spiritus intonuit, descendit summa potestas,
Dans varias linguis sanctis, miracula prestans,
Idola deficiunt, tempula profana ruunt.
Tiberii lepram divina Veronica sanat;
Rosa nimis facies sanatur Vespasiana.
Iudaicos populos perdere Titus amat.
Pilatus Christi Romanis docmata scripsit,
Predicat esse Deum, quem perfida pleps crucifixit,
Et monet, ut vivant amodo lege pia.[Page 153]

Lege nova Christi monet hos normaque teneri,
Cuius et imperio totus valet orbis haberis,
Tiberio placuit: *Quod petis, inquit, erit.*
Tunc indignatus respondit ad ista senatus:
Lex aut archatus nisi per me canonicatus,
Me quoque dante datus, non erit orbe ratus.
Sint licet ista bona, non incipit hec mea Roma.
Dedecus eternum portaret nostra corona,
Si qua per imperium lex aliena sonat.
Annis Tiberius vixit tribus et duodenis,
Morte remisit honus, reddens sua tempora celis,
Set prius in terris comoda multa dedit.
6. *De templo dee Ysidis destructo a Tiberio.*
Grandis in orbe soli dea scribitur Ysidis olim,
Nam quasi voce poli responsa dabat regioni,
Roma suum templum finxit in orbe fori.
[Filia regis Apis Egipti gramata finxit,
Et prior Ethiopes belli certamine cinxit,
Et dea tunc meruit major in orbe coli.]
Unica Tiberii neptis, matrona decora, Ysidis in templo Paulina frequenter adorat,
Ut dea dicta sibi conferat ampla bona.
Hec ubi sepe meat media conspecta platea,
Stans quasi pulcra dea, celebri suffulta corea,
Hanc ut habere queat miles, amabat eam.
Mundus eam querit, set displicuit mulieri,
Cras quoque sicut heri potuit nichil inde mereri,
Sic satis egrotans, Mundus amore perit.
Inde viri facies pallore coacta liquevit,
Carnis adest macies, et amoris causa patescit,
Unde sacerdotem poscit, ut addat opem.
Poscit, ut hanc nocte faciat templo residere,
Atque Dei promittat ei responsa movere,
Ysidis in specie dicta dolosa ferens.
Intus erit Mundus, dum venerit ipsa latenter,
Ut quasi iuncta Deo coeat de nocte libenter,
Denique iuncta Deo, sponte fruetur eo.
P. 153 v. 12 post dedit addit A:] Deficit hiis annis sacrum baptismus Iohannis,
Iordanis baptismus Dei quia senserat ampnis,
Fons olei Rome crisma fluendo monet.
Discipuli Christi dant signa diebus in istis; Pilatus capit, quoniam Yhesum crucifixit.
Exul et Herodes carceris antra foyet.
Fama resurgentis Christi iam maxima crescit,
Cetus et aspergit super ethera quando recessit,
Regnantisque sonus transit in omne solum.
Dictum de apostolis et aliis sanctis impossibile et nimis honerosum esse prospicimus omnium
nomina vel acta describere. Nec etiam videtur necessarium, cum hec omnia cotidie in
ecclesia Dei legamus. Ne autem sanctos in hoc tanto opere sub silentio videamur transire,
ponemus comparationes quasdam et figuram inter vetus et novum testamentum, et in quibus
Deus ampliorem gratiam ostendit dicemus.
De singulis apostolis et sanctis omnibus fit inter vetus et novum testamentum comparatio.
Quot legitur patriarcha tribus Iacob genuisse etc.[Page 154]

Hoc preventa dolo, Paulina venire monetur,
Ysidis in forma dum Mundus ab intus habetur,
Nescia iuncta viro, perdidit illa decus.
Post ubi Pauline miles se monstrat eunti:
Dura michi fueras, inquit, pro te pereundi,
Te tamen obtinui functus amore tui.
Quando deum tenuisse putas, te solus adivi,
Ysidis in templo tecum de nocte coivi,
Te satis asscivi, teque fruebar ibi.
Milite pro scelere satis insultante superbo,
Audit et ostupuit mulier tristissima verbo,
Mallet et ipsa mori, quam male gesta coli.
Orruit auditam mulier decepta loquela,

Iudice Tiberio ponens lacrimosa querelam;
Curia condoluit totaque tristis erat.
Idola Tiberius iubet in Tiberim iaculari,
Atque sacerdotes templumque sub igne cremari,
Pulsus ab Urbe foras miles honore cadit.
Illaque tunc sceleri se non favisce probavit;
Denique se gladio Paulina pudica necavit:
Spiritus et sanguis sit michi testis, ait.

7. *De morte Tiberii et de exaltatione Gaii Gallicule.*

Anno ab Urbe condita 785, anno vero ab incarnatione Domini 39, Tiberius 23. imperii sui anno veneno perit. Cui succedit Gaius Gallicula, tertius ab Augusto, vir omnium ante se sceleratissimus. Sorores enim suas, quas ipse primo stupro polluit, postmodum exilio dampnavit, et aliis innumeris se criminibus orribilibus inquinavit. Quarto autem anno imperii sui a senatu interficitur. Inventi sunt post mortem eius duo libelli. Quorum unus Pugio alter Gladius dicebatur. In quibus electissimorum Romanorum nomina scripta erant, quos ipse occidere proposuerat. Arca etiam cum vasis multis venenis plenis apud eum inventa est. Que scilicet vasa in mare fusa plurimo piscium interfecerunt. Hec de Gaio Gallicula ad memoriam suarum iniquitatum prosaice dicta sufficient.

Cetera gesta sibi contemporanea de aliis versibus subponam.

Item de eodem Gaio Gallicula imperatore versifice dictum, qui regn. ann. 4 et mens. 3.

Gaius Gallicula fit cesar, ad omnia sevus.
Nunc euangelium describit in orbe Matheus,
Ut prius in terris iusserat ipse Deus.
Gaius Gallicula bello superavit Ebreos,
Intermit gladio servosque facit Fariseos,
In templo Domini collocat ipse deos.

Nomine quippe suo lovis est ibi grandis imago,

Hanc et adorare mandatur Ebrea propago. Cronica sic referunt, ut recitator ago.

Quatuor his annis, sex mensibus enumeratis.

Gagius exsolvit cesar sua tempora fatis;

Gaudia Iudeis mors dedit ampla satis.

Tunc apud Antiochos Petrus pro presule sedet,

Cuius et in Christo monitis provincia credit,

Tunc quoque Cornelio docmata sacra dedit.

Nunc etiam legitur fieri conversio Pauli,

Cuius et ecclesia monitis reverenter obaudit.

Qui Stephanus fuerat, iam protomartir erat.

P. 154 v. 49 post erat addit A:] Apud Francos de Maguntia civitate et dignitatibus eius.

Inclita Francorum quia regna canenda putamus,

Altius incipimus, decet ut maiora canamus:

Scribere Francones pagina nostra monet.[Page 155]

Optima pars Reni iam nunc recolenda resurget,
Qua patrie mater regina Maguntia fulget,
Francorum sedes, quam memorare sedet.
Gesta Maguntina pro tempore prima feramus,
Post et Agrippina celebri statione canamus.
Ad primam sedem, dactile, verte pedem.
Apud Francos interpretatio nominis civitatis Maguntie.
Climata quando pia formabat in orbe sophia,
Tunc Magus atque Cia dixer: *Moguntia fiat,*
Francus ubi fluvius Renus amenus yhat.
Arte ferunt magica sua menia prima patrata,
Unde Maguntina fuit hec quandoque vocata;
Inde placet proprie nomen utrumque dari.
Sedes prima datur, cui prima corona loratur,
Grandis in archatu, grandis sua pompa notatur,
Per quoque quinque patrum noscitur esse caput.
Quos loquor esse patres, quasi reges esse putate:
Magni pontifices retinent sua climata late,
Quos bene consimiles regibus esse patet.
Qui minor in patribus hiis omnibus esse putatur,
Regibus aut ducibus par maiestate probatur,
Militia populis ornat utrumque latus.
Si minor illorum tot culmina stringit honorum,
Plus facit egregius presul dominator eorum,
Tollere qui Danais posset ubique solum.
Primus apud Francos regum Gilbertus habetur,
Regna Turingorum qui tunc superasse meretur,
Marteque Saxonicum sustulit omne decus.
Hic genuit magnum condam regem Glodobeum,
Cui baptista fuit Remigius atque Tadeus;
Tunc prius agnovit Teutona lingua Deum. Claudius
exarcus fit summus in orbe monarchus.
Scribit et ecclesiis sub eo sua dogmata Marcus,
Cuius dogma bonum transit per omne solum.
Iste duodenis annis diadema reliquit.

Spiritus infernum corpusque sepulcra revisit,
Ius tamen imperii cum probitate tulit.

8. *De exaltatione Claudi imperatoris, quarti ab Augusto, qui regn. ann. 14.*

Anno ab Urbe condita 805., anno vero ab incarnatione Domini 44., occiso Gaio Gallicula, Tyberius Claudius imperat, quartus ab Augusto. Sub hoc Claudio Herodes, Iosefo testante, Iacobum fecit occidi, et Petrum tenuit in vinculis, quem angelus eduxit et liberavit. Hoc scelus ab Herode perpetratum ultio divina punivit. Quod Lucas describens, sic ait: *Cum, inquit, Cesaream descendisset Herodes, et in die sollempni regia veste preclare induitus pro tribunali sedisset, ac de sublimi contionaretur ad populum, cumque populus acclamaret ei tamquam Deo, non sicut homini, statim percussit eum angelus Domini, eo quod non dedit gloriam Deo; et scatens veribus expiravit.* A Iosepho hoc idem, set prolixius dictum invenies. Hoc tempore apostoli in omnes fines orbis divisi sunt: Petrus Romanam sortitur; Paulus, qui alias sapientia precellebat, Grecos sapientes invadit; Iohannes invadit Asiam, Andreas Achaiam, Matheus Ethiopiam, Thomas et Bartholomeus utrasque Indias, Simon Tadeus Egyptum et Mesopotamiam, deinde Persidem et Sithiam; Philippus Gerapolim; Iacobus in Iudea remanens Ierosolimorum rexit ecclesiam. Nam alter Iacobus ab Herode fuerat decollatus. Qui tamen, ut dicitur, prius Ispanis predicaverat; ubi adhuc sepulcrum eius habetur clarissimum. Isti apostoli non armis, set verbis et miraculis orbem agressi, non alieno, set suo proprio sanguine triumfantes, melius quam Romani vicerunt. Anno itaque imperii Claudi 7. tanta seditio in sollempnitate pasce Ierosolimis orta est, ut de hiis qui constipatione populi in foribus templi obprimerentur, triginta milia Iudeorum invenirentur extincta. Anno imperii Gagii 9. omnes Iudei ab Urbe sunt expulsi, quod tam Iosefus quam Suetonius dicunt. *Claudius*, inquit, *Iudeos assidue tumultuantes ab Urbe expulit.* Claudius 35 senatores et 300 equites parvis de causis perdidit. Ipse vero Claudius 14. imperii sui anno veneno perit, Nero autem ei in imperium successit.

9. *De exaltatione Neronis imperatoris, quinti ab Augusto.*

Anno ab Urbe condita 857., anno autem ab incarnatione Domini 59, Nero, quintus ab Augusto, imperium suscepit, vir omnium flagitosissimus. Qui Gaium Galliculam avunculum suum nequitia superavit. Tante namque petulantie fuit, ut, assumpto varii vestitus decore, tam Grecie quam Italie urbes et teatra perlustraret ipsosque istriones suis [Page 156]

ioculationibus vinceret. Luxurie tam effrenis fuit, ut aurea sibi retia ad piscandum et domum auream ad habitandum pararet. Urbem fecit in duodecim partibus succendi. Que cum per septem dies arsisset, ipse in altissima turre stans, cantilenas de incendio Troie quondam compositas letissimus decantabat. Nero matrem et sororem stuprare non aborruit, Senecam magistrum suum interfecit. Nero primus in christianos movit seditionem. Matrem suam evisceravit. Nero audiens Galbam in Ispania ab exercitu imperatorem esse creatum, animo fractus, a senatu hostis pronuntiatur. Ipse fugiens apud quartum lapidem ab Urbe se ipsum occidit, et, ut ait, a lupis est devoratus. Cetera de Gaio et de Nerone versibus explicamus.

Item de Nerone versifice, qui regn. ann. 14.

Scandit Nero thronum blasphemus in orbe colonus,

Nulla sorte bonus neque dignus honore patronus,

Soccus opum, scelerum signifer, orbis bonus. Nero sue matris iubet intima viscera findi,

Quo loculo stringi potuit, quo spermate gigni,

Quo iacet alveolo matre creatus homo.

Nero suam Romam voluit comburere magnam,

Cernere tunc cupiens, quantam daret undique flammam,

Ut viduata lare gaudia Roma daret.

Nero puer quondam fertur metuisse magistrum,

Dum tenet imperium, metuisse fatetur id ipsum,

Unde virum Senecam, dum timet, ipse necat.

Nero magum Simonem scelerum nutritor amavit,

Cuius et intuitu Petrum Paulumque necavit.

Ipse lupis ravidis perfidus esca fuit.

Gesta Magi Simonis vel regis culpa Neronis

Regibus exemplum pariunt frenumque furoris,

Suntque timor reprobis spesque beata bonis.

10. *Cronica contemporanea de Glodoveo rege Francorum.*

Nunc baptizatur Glodoveus in urbe Remensi,

Angelus a celis oleum dedit omnipotentis,

Gratia baptismi quo celebrata fuit.

P. 156 v. 26 post bonis addit A:] Apud Francos de civitate Treviorum et mirabilibus eius.

Fulget apud Francos prenobilis urbs Treverorum;

Belgica Roma prius fuerat cognomen corum,

Qua rigat egregium pulcra Musella solum.

Vina Musellina facit unda maris peregrina,

Anglica natus ea vehit et Norgueia carina,

Optinet in Renum ducta Musella viam.

Hac et in urbe pia requiescit honore Mathias,

Discipulus Domini, celi statuente sophia,

Quo peregrinus yhat solvere vota via.

Corpus et Eucharii tenet hec corpusque Materni,

De quorum meritis paucissime scribo modernis,

Mira legendo feres, qui mea scripta geres. Hii dum trans Alpes Petro mandante venerunt etc.

.....
Nullus habet Rome baculum per secula presul,

Permanet in Treveris perpetuale decus.

V. 44 sequentia alio loco habent etiam C. D. E his praemissis:]

Signa beatorum nequeunt numero numerari,

Attamen hic unum de milibus opto notari,

Unde sit in reliquis gloria nota magis.

Eucharius fuit atque suus collega Maternus

Discipuli Petri, verbum coluere supernum,
Quos sibi trans Alpes Petrus abire iubet.
Cumque Iovis montem niveo iam calle subirent etc.[Page 157]

Fertur adhuc oleum celeste Remis retineri,
Quo reges uncti soliti sunt regna mereri;
Unctio Francigenis hec ita semper erit.
Tunc post Tiberium Gaiumque sedente Nerone
Petrus erat papa Rome, qui religionis
Docma fidemque Dei primus in Urbe colit.
Petrus in Antiochis octo considerat annis,
Bisque decem Rome servit divina tyrannis,
Insuper et quinque sedit et octo dies.
Euguangelistam Marcum fertur docuisse.
Qua crucifixus erat Petrus, tumulum tulit ipse;
Rasuram capitis primus et ipse tulit.
Linus erat, vivente Petro Neroneque, Rome;
Namque vices Petri gessit, Tuscus regione,
Annis quindenis ultima fata colens.
Et Cletus, vivente Petro, Lino sociatur,
Qui simul exterius curabant pontificatum,
Set dabant interius docmata sacra Petrus.
Tradita non erat hiis papalis plena potestas,
Nec ligat aut solvit Linus Cletusve, set exstant
Sub vice pontificis pondera ferre Petri.
Qui socius Lini fuerat pro tempore Cletus,
Annis ter senis Rome sedisse videtur,
Quorum temporibus vixit in Urbe Petrus.

11. *De Galba et de Ottone et de Vitello, electis imperatoribus, et de Vespasiano.*
Galba, sextus ab Augusto imperator, Neronis morte comperta, Romam venit. Ubi dum nobilem quandam nomine Pisonem sibi in filium adobtasset, ab Ottone tam Galba quam Piso septimo imperii sui mense necantur.
Itaque dum Rome Otto usurpat imperium, Vitellius in Iermania idem arripere conatur. Item Vespasianus in Siria, contra Iudeos a Nerone transmissus, multis malis eos attriverat. Et Iosefum, eorum prudentissimum ac sapientissimum sacerdotem, in vinculis tenebat. Cito Vespasianus ab exercitu Neronis imperator creator. Iosephus iste, de quo tam sepe loquimur, filius Mathie, non solum inter Iudeos, set etiam apud Romanos postmodum tante autoritatis fuit, ut statua ei in Urbe donata esset, libri quoque eius bibliotece traderentur. Eius autem opera sunt in istoria 25 librorum Antiquitatum. Liber etiam Machabeorum secundus ab eo dicitur compositus. Otto contra Vitellium bellum parat. Ubi dum primo circa Alpes, secundo iuxta Placentiam, tertio in loco qui dicitur Castoris victor fuisse, quarto, cum suos iam vinci vidisset, se ipsum occidit, mense tertio quo ceperat imperare. Vitellius Romam veniens, regnum usurpat. Multisque ibi crudeliter actis, cum audisset de Vespasiano, primo quidem regnum dimittere cogitat, set postea confortatus a sociis, Sabinum, fratrem Vespasiani, cum suis in Capitolium fugavit. Ibique eum et suos omnes incendio et ruina uno tumulo mori et sepeliri coegit. Vespasianus autem ortatu principum et Iosephi supra memorati suscepit imperium. Relictoque Tyto filio suo in obsidione Ierosolimorum, ipse per Alexandriam Romam venit. Interea Vitellius a suis capitur, et tam per viam sacram quam per forum turpiter ductus, uncu trahitur, et mersus in Tiberim, communi caruit sepultura. Igitur a passione Domini 40 annorum spatio iam transacto, quem terminum Iudeis Deus tunc ad spatium penitentie indulsisse videtur, cum penitentiam despicerent, immo interficiendo duos Iacobos et Stephanum peccata multiplicarent, ultio divina, sicut eis a Domino predictum fuerat, populo impiissimo supervenit. Sancti viri, qui tunc erant Ierosolimis, revelatione divina premoniti, ab urbe secedunt, et in castello quod dicitur Pella se claudunt. Civitas Ierusalem Tyti obsidione cingitur in die magno pascali sollempnitas, cum populi extranei totius Iudee illuc confluxissent. Urbs tandem cum multo sanguine Romanorum capit. Templum autem, ubi principes se et sacerdotes receperant, maximo postmodum legitur labore devictum. Titus itaque urbem et templum iuxta prophetiam domini Iesu Christi delevit. Nam lapidem super lapidem non reliquit.
Anno 1100. a restitutione ipsius templi, quando restauravit illud Darius, filius Istapis, rex Persarum.
Ibi 600000 Iudeorum imperfecta leguntur secundum scripta Cornelii et Suetonii. Qui autem Iudeorum miserabilem occisionem plenius cognoscere volunt, legant Iosephum istoriografum eorum. Qui in ipsa die pascali tamquam uno carcere divina dispositione conclusos tricesies centena milia commemorat in urbe fuisse. Ex quibus undeties centena milia igne, fame, ferro perierunt, preter illos qui in villis et castellis aliis sunt extinti. Adiecit insuper Iosephus in hec verba: *Estimo, quia si eundem impiissimum populum Romani punire distulissent, aut yatu terre aut aque diluvio aut ignibus Sodomitanis et fulminibus de celo missis eadem civitas supplicia pertuisset; quia nequiores protulit etatem hominum, quam illi Sodomite fuerint, qui eadem supplicia primitus pertulerunt.*[Page 158]

[Dicebant tunc Romani, nullos in toto orbe terrarum labores se tam gravissime pertulisse, sicut in gente Iudaica illis temporibus pertulerunt, nullamque gloriam de omnibus aliis triumfis se habuisse crederent, si Ierosolima integra in sua contumacia permansisset.]

Iudei, qui tunc occisi non sunt, 900000 fuisse leguntur, qui usque in presentem diem per totum orbem dispersi cernuntur.

Tytus post triumfum tam magnificentum a toto exercitu imperator est appellatus. Vespasianus simul cum Tyto Urbem ingreditur, ubi triunfo maximo et inaudito, uno curru sedens cum filio, ductis ante se captivis et biblioteca Iudeorum, suscipitur. Hiis diebus valde aucta est res publica; denique Achaia, Litia, Rohdus, Bizantium, Samotracia, Cylicia et Comogena in provinciam Romanorum redacti, Romanis legibus et iudiciis paruerunt. Vespasianus anno 10. imperii sui fluxu ventris in propria villa sua moritur, iuxta terram Sabinorum. Tytus autem, filius eius, octavus ab Augusto succedit, exclusis a catalogo imperatorum Vitellio et Ottone. Fuit autem vir moderantissimus, qui frequenter dixit: *Dies perditur, in qua bonum non operamur.* Anno imperii Tyti secundo in villa qua et pater eius obiit ipse cum planctu omnium Romanorum. Cetera de eodem versifice canamus.

12. *Item de exaltatione Vespasiani Titi imperatoris, octavi ab Augusto, versifice dictum.*

Tempore Neronis iam Vespasianus habetur,
Qui post Neronem Rome diadema meretur;
Hic et Ebreorum destruit omne decus.
Imperiosa manus consurgit Vespasianus;
Filius est Titus, quem post hunc laude canamus:
Viribus amborum crevit in orbe salus.
Filius atque pater populos destruxit Ebreos;
Pro solo nummo triginta dedit Phariseos,
Sicut ab hiis emptus scribitur ipse Deus
Annis terdenis fuit hic Titusque duobus,
Claruit ipsorum super omnia climata robur,
Invisosque Deo perdit uterque reos.
P. 158 v. 26 post reos addit A:] Apud Francos Agrippa edificat Coloniam civitatem.
Tunc et apud Francos Romanus vixit Agrippa,
Cuius Agrippinam legimus cognomine dictam,
Que modo primatum summa tenere datur.
Fulget Agrippina clero populoque beata,
Grandis, honorata, res regia summa vocata;
Regibus optata sunt sibi iura data.
Laude sui cleri cuperem condigna fateri;
Cum laudare velim, superat me copia veri,
Vixque suis meritis Enneus aptus erit.
Omne decus mundi miranda Colonia fundit,
Inclita metropolis hostes probitate retundit.
Maxima pontifici pallia Roma dedit.
Claviger Ytalicus sub cesare presul habetur,
Quod sit ibi dominus, cancellaria fatetur,
Est ibi pontifici gloria, pompa, decus.
Servat Agrippa magos tres, quos celebre veneramur,
Quos reges Arabum psalmo perhibente putamus:
Carne caput sanum tangitur ore manu.
Cletus papa primus post Petrum.
Istis temporibus fert pontificalia Cletus,
Annis ter senis Rome sedisse videtur,
Cuius doctrine fulget in orbe decus.
Apud Francos Granus princeps Romanus.
Princeps Romanus fuit hoc in tempore Granus,
Qui castrum firmavit Aquis silvis medianum,
Illud Aquisgrani nomen habere damus.[Page 159]

Grandis Aquisgrani Francorum gloria regnat.
Grandis erat condam, maior patet esse moderna,
Qua regni sedes imperiumque tenet.
Cum sit Aquis condam sub principe condita Grano,
Stat sub Agrippina, dat iura metropolitano.
Balnea sulfurea que tenet, ecce cano.
Urbis nomen Aquis, quod aquas signare videtur,
Francorum lingua sonat ais, quia sana tuetur
Corpora debilium; fit nova pulpa vetus.
Karlus in hac requie propria statuit recreari,
Sede coronari qua vivere, qua tumulari
Sanxit et hoc reliquis posteritate dari.
Aula rotunda pie prefulget in urbe Marie,
Qua fuit et fiet laus perpetranda sophie;
Cantus ibi celebris nocte fit atque die.
Si de factura tibi sit cognoscere cura,
Marmore structuram similem non credo futuram,
Aurea pictura, plumbea tecta sua.
Dupliciter structa, dupla testudine ducta,
Aula patet populis, duplato corpore dupla,
Et gradibus late scandere summa patet.
Quatuor ascensus fit partibus ordine tensus,
Fit quoque contentus susum iusunque retentus;
Clerus utrique lari stat ratione pari.
Karolus aptavit, rex Attila, fana paravit,
Otto reformavit, Fredericus honorificavit;
Aurea capsula patet, qua modo Carlo iacet.
Cuius in altari meruerunt membra sacrari,
Moreque vulgari reverenter ibi venerari,
Semper adorari laude, canore pari.
De exaltatione Titi imperatoris, qui regn. ann. 2 et m. 2.
Titus honoratus populo plaudente levatus,
Prorsus Ebreorum legitur punisse reatus;
Clarus in eloquio, lux erat in populo.
Hic dedit Ebreis eterno tempore luctum.

*Perditur illa dies, dixit, que stat sine fructu;
Nil valet, inquit, honor cesaris absque bono.
Papa fuit Clemens, Tito diadema tenente,
Anni ter terni menses duo quo moriente
Transierant, et ad hec octo duoque dies.
P. 159 v. 10 post dies addit A:] Cronica.
Apud Francos fit castrum Noviomagum.
Iam Noviomagum Francorum clima canamus,
Quod Iulius primus coluit, nunc Vespasianus
Innovat, et Titus filius, ampla manus.
De Noviomago pulchro libet edere pago,
Qua variatus agro fluvius rigat omnia Gualo;
Hec aqua fit raro transilienda vado.
Fluminis elata sunt litora rupe levata.
Aula columpnata stat desuper arte locata,
Circuitu lata prata rigantur aqua.
Pulcior aspectus non creditur orbe repertus.
Hanc Gaius Iulius prius edificasse refertur.
Omnia que vidit subdita fecit ibi.
Karolus ornavit, quam cesar ibi reparavit;
Attila vastavit, Fredericus ea renovavit.
Amodo qui veniat rex ea facta regat.[Page 160]*

13. *De exaltatione Domitianus imperatoris, noni ab Augusto, qui regn. ann. 15.*

Anno ab Urbe condita 825, anno autem ab incarnatione Domini 83, Domitianus, nonus ab Augusto, Tyto
fratri suo succedit. Iste suos tam occisione quam exilio inique tractavit. Romanum exercitum apud Iermano et Dacos
incaute perdidit. Iste in tantam vesaniam devenit, quod deum et dominum se iusserit appellari. Ad similitudinem
Neronis in christianos movit persecutionem. Ipse Iohannem euguangelistam, ultimum tunc apostolorum, in Patmos
insula exilio relegavit. Ubi etiam scripsit Apocalipsim. Domitianus in palatio suo occisus anno 15. imperii sui, dedecorose
legitur fuisse sepultus. Cui Nerva succedit, decimus ab Augusto.

Item de eodem Domitiano versifice.

Titi germanus nunc regnat Domitianus,
Perfidus, insanus, sanctis crudelis, amarus,
Perdat ut ecclesias, mittit ubique manus.
Davitica de stirpe viros postquam superavit,
Amodo ne reges fierent, omnino necavit:
Sic genus illorum prorsus honore cadit.
Sevus in imperio, tu, Domitiane tiranne,
Mittis in exilium, populo plangente, Iohannem;
Tu male discedis, clarior ille redit.
Rex annos sex atque decem vixisse notatur.
Tunc et Anacletus Rome sedisse putatur,
Grecus ab Athenis, clarus in Urbe fuit.
Vixit Anacletus annis Rome duodenis,
Atque dies septem, cum mensibus ordine denis,
Post et Alexander nomine papa venit.

14. *De Nerva imperatore, decimo ab Augusto, qui regn. ann. 1.*

Domitianus obit, set Nerva fit actor honoris,
Qui cito lege fori damnavit gesta prioris,
Nec patitur regis gesta maligna coli.

P. 160 v. 23 post venit addit A:]

Apud Francos edificatur Traiectum super Renum contra Frixones.

Nunc gentem Frixonum Romana potentia querit,

A quibus et fisci mandat vectigal haberi;

Denegat hoc Frixonum terra rebellis ei.

Urbem Traiectum statuit tunc Roma parari,

Ut possent Frisones belli statione domari,

Qua maris oceanani litora Renus adit.

In mare projecto Reno dum carmina necto,

Urbi Traiecto nichilominus organa flecto,

Cuius et oceanano litora iuncta cano.

Navigio plena tenet urbs ea litora Reni,

Planicie leni campi iunguntur ameni,

Qua maris oceanani multa carina vehit.

Distat ab oceanano trinis urbs illa dietis,

Que sine vinetis agris nitet undique letis,

Turget et innumeris piscibus ipsa rethis.

Piscis et allecis ibi fit quasi copia fecis,

Quorum massa necis rumpit moderamina retis:

Retibus impletis, suscipe, si qua petis.

Transitus ille maris datur Anglis rite parari,

Anglica Lindonia breviter solet inde vagari,

Navis iter peragit nocte dieque pari.

Omne solum patrie quod Renus ab equore cingit,

Presulis et cleri Traiecti copia stringit,

Et maiora satis presul honore capit.
Quicquid ab Anglorum regno vehit unda bonorum
Et fera gens Frisonum manibus deservit eorum,
Servit et Alsatia, Mosa, Musella, Magus.[Page 161]

Fama Iohannis adest, vir ab exilio revocatur.
Omne, quod instituit rex impius, evacuatur,
Omne malum reicit Nerva, quod ille tulit.
Imperium Nerve spatio preciditur anni;
Tempore cuius erat celebris doctrina Iohannis.
Nunc et Alexander papa beatus adest.
Annis ter senis viventis tempore plenis,
Mensibus et septem sua tempora presul ademit,
Hiis tamen ad requiem tres superadde dies.

15. *De Traiano imperatore, 11. ab Augusto, qui regn. ann. 19.*

Anno ab incarnatione Domini 95. Nerva, unius anni imperator, qui omnes exilio detentos iusserat revocari, mortuus est. Cui succedit Traianus, undecimus ab Augusto. Quem Nerva adhuc vivens in filium adobtaverat. Iste in urbe Agripina, que hodie vocatur Colonia, in Francia, imperii culmen accepit, et multas gentes trans Renum et trans Danubium prudenter subegit. In Oriente etiam ultra Eufraten et ultra Babiloniam multas regiones subiugavit. Iste christianos persequi incepit; set cito cessavit. Eius temporibus domus aurea Neronis ictu fulminis incensa est et cremata. Eo tempore Iohannes solus sine sanguinis effusione apud Effesum in pace migravit. Traianus 19. anno imperii sui obiit per fluxum ventris.

Item de eodem Traiano versifice dictum.

Traianus Rome Siriam tenet et Babilonem,
Finibus Indorum multas subicit regiones,
Alter Alexander plurima bella movens.
Cesare Traiano mediis regnante sub annis,
Intonat ecclesiis obitum venisse Iohannis:
Transit in tumulum corpus et ante Deum.
Annis quindenis lux cesaris ultima venit,
Presul Alexander Rome tunc papa resedit,
Cuius apud Nervam tempora scripta dedi.
Traiano iam defuncto post tempora multa,
Gregorio papa Romana potentia functa,
Traiani regis gesta vetusta legit.

P. 161 v. 9 post dies addit A:]

Apud Francos Nerva imperator iubet edificari Guirzeburch.

Urbs erat Erbipolis, que Guirzeburga vocatur,
Iuncta Mogo fluvio Francorum climate nato,
Quam modo Nerva iubet climatis esse caput.
Hec aqua Francorum confinia tangit eorum,
Qui sibi Baguaricum iungunt regione colonum,
Inde Maguntiacum tendit inire solum.
A media stina grandem vehit unda carinam,
Multus refert lina Mogus infinitaque vina;
Anglia cum Datia navibus inde viat.
Hec loca vinosa, tam pinguis tam speciosa,
Undique famosa tenet Herbipolis speciosa,
Stans quasi frondosa fronde virente rosa.
Erbipolis felix, gens optima, terra fidelis,
Munera de celis ea promeruisse videris:
Nam quecumque velis dona cupita geris.
Quam loquor Herbipolis bene Guirzeburga vocatur;
Flumine per medium domibus conferta rigatur,
Ponsque super validus iungit utrumque latus.
Optimus ille situs, pulcerrimus est mihi visus,
Vallibus excisis quasi terrea stat paradisus;
Vivere confisus hanc habitabo citus.[Page 162]

Prelia gesturus pergebat ab Urbe monarchus,
Pontis et ad Tiberis properans dum transiit arcus,
Obvia stat vidua, mota querela sonat.
Stes, ait illa, meum rediens ulciscere natum.
Nam morior, dum sic video cervice necatum.
Hoc scelus imperium vindicet: ecce caput.
Cesar ait: *Pugnabo prius, curabo redire.*
Illa refert: *Si non redeas, quo vindice fiet?*
Quam laudem Deus hic te meruisse sciet?
Rex satis iratus, iubet ut vindicta feratur.
Post abiit, set non rediit, quia marte necatur,
Unde virum laudem plus meruisse patet.
Hoc pietatis opus dum Gregorio memoratur,
In gemmum pro morte viri, multum lacrimatus,
Orat, ut alma Dei dextera parcat ei.
Dum iacet in precibus, stans angelus increpat illum:

Scis, quia non habuit baptismatis ille sigillum,
Quomodo tu lacrimis dona neganda petis?
Ast homo tu pacis opus expetis hoc pietatis,
Quo semel induito, non amplius ista petatis,
Traianus requiem, te rogante, capit.

Excessit papa; set non permanxit inultum:
Angelico pulsu femur eius tempore multo
Claudicat, et pene corpore signa tenet.

Nota, quia tempore Traiani Clementi pape successit Euaristus Rome. Apud Antiochiam post Euodium succedit Ignatius. Ierosolimis vero erat tunc episcopus Policarpus. Anno autem Traiani 12. post papam Euaristum succedit Alexander Rome. Apud Alexandriam post Cerdonem succedit Primus. Antiochie autem post Ignatium succedit Heros.
16. *De Adriano imperatore*, 12. ab Augusto, qui regn. ann. 21.

Anno ab incarnatione Domini 118. Adrianus, 12. ab Augusto, suscepit imperium. Adrianus cognominatus est Elius ab Elia urbe, que prius vocabatur Ierusalem. Iste etiam pater patrie vocatus est, pro eo quod iustus et misericors esset, et tributa debita omnibus remisisset; Iudeos in Palestinam, id est in Ierusalem, que tunc ab ipso Adriano Elia est appellata, redire volentes prohibuit; set christianos ibi habitare permisit; precipiens, ne ultra Iudeis in eam revertendi licentia prestaretur. Eo tempore Egesippus doctor fidei christiane clarissimus habebatur. Qui ex apostolica predicatione quinque libros composuit, et istoriam Iudeorum a Machabeis usque ad excidium Ierusalem luculenter descripsit. Adrianus anno imperii sui 21. obiit.

[Adrianus iuravit, se numquam senatorem nisi ex senatus sententia puniturum. Cibis castrenibus in propatulo libenter est usus, hoc est lardo, caseo et pusca, exemplo Scipionis Emilianus et Metelli et Traiani. Tribunum nisi plena barba non fecit. Mathematicam artem sic scire visus est, ut sero in Kal. Ianuarii cognoverit et scripserit, quid ei toto anno posset evenire. Adrianus quos in privata vita habuit inimicos factus imperator non odivit. Unde cuidam inimico legitur dixisse: *Evasisti.*]

P. 162 v. 24 post tenet addit A:] *Apud Francos de rege Glodoveo.*

Tempore Traiani rex Francorum Glodoveus

Cedit, et erigitur rex eximus Miroveus,
Cuius et obsequium complacet ante Deum.

Amode quot reges huius sunt progeniei,

Fit cognomen eis, quia dicuntur Mirovei;

Hic athleta Dei regna quieta regit.

Hinc Argentina propria consedit in urbe,

Qua caput Alsatie vinetaque maxima turgent,

Qua favet indigenis terra referta bonis.

Argentina datur antiquitus inde vocari,

Quod solet argenti vectigal abinde parari,

Moreque vulgari tempore dante dari. Tunc

Lucius papa de Luca prodit urbe,

Cui vita pia tribus annis fulget in orbe,

Ter senos menses adde decemque dies.[Page 163]

Item de eodem Adriano dictum versifice.

Cesar Adrianus, functus diadema Rome,

Urbis Ierusalem cupiens extinguere nomen,

Nominat hanc Eliam, rem variare volens.

Imperat Ebreis per climata, per regiones,

Ne vocent hanc Ierusalem, sententia Rome

Iussit, ut hoc Elie nomen in orbe sonet.

Nota, quod anno tertio Adriani obiit papa Alexander. Cui Sistus succedit. In Alexandria mortuo Primo succedit

Iustus. Eo tempore urbs Ierusalem ab Adriano Elia vocabatur, et a gentibus inhabitabatur; propter quod etiam

carebat episcopo. Set postea christianis in ea esse incipientibus, prior eorum fuit episcopus Marcus,

Sisto iam mortuo papa et Thelesforo sedente. In Alexandria vero post Iustum Neumene erat episcopus.

[Antonius Pius legitur dixisse: *Malo exemplo Scipionis unum civem servare, quam mille hostes occidere.* Antonius

fratrem suum sibi socium in imperio designavit. Et tunc primum in imperio duo augusti esse cuperunt. Faustina, filia Pii Antonii, cum vidisset gladiatores, in amorem unius gladiatori exarsit. Unde cum languore cepisset, viro suo Marco Antonino causam manifestavit. Qui per consilium medicorum Chaldeorum ipsum gladiatorem fecit occidi et sanguine illius Faustine inferiora perungi. Quo facto, illa est liberata.]

17. *De Antonio Pio imperatore*, 13. ab Augusto, qui regn. ann. 20.

Anno ab incarnatione Domini 39. Antonius Pius suscipit imperium, 13. ab Augusto. Iste etiam pater patrie dictus est. Qui iuxta duodecimum ab Urbe lapidem anno 20. imperii sui obiit. Cetera de Antonio Pio versus insinuabunt. Set hoc nota, quod anno Antonii primo Telesforus, 11 annis papatu retento, obiit. Cui Igninus est substitutus, Ignino succedit Pius papa. In Alexandriam post Eumenidem succedit Marcus. Pius papa moriens Aniceto papatum reliquid. Marcus in Alexandria substituit Celadionem. Egesippus dicit, se tempore Aniceti Romam venisse.

Item de eodem Antonio Pio versifice dictum.

Antonius Pius est patrie pater inde vocatus,

Parcere subiectis quia fertur ubique paratus; Non cogit populos ferre tributa suos.

Huius temporibus fulget medicus Galienus,

Qui dedit antidotum, cuius nos docma tenemus;

Tempus Ypocratis diximus esse prius.

Imperat Antonius viginti circiter annos.

Papa Telesphorus est Grecus Rome venerandus

Annis undenis, qui sua fata dedit.

P. 163 v. 7 post sonet addit A:] *Cronica Francorum.*

Tunc rex Lotharius Francorum regna regebat,

Urbem Parisius et Sequana rura tenebat,
Eius ad intuitum terra Remensis erat.
Tempore Lotharii, quem nunc loquimur dominari,
Sequana cum Lieri legitur Gaudiana vocari,
Equa sedet Francis et probitate pari.

Addunt A et B:]

Annis ter senis Adriani gloria sedit;
Sistus papa decem tunc annis sede resedit,
Cui septem menses adde duosque dies.
Vv. 2 - 7 pro verbis cesar Adrianus ... orbe sonet sequentia exhibet codex A:]
Sepe rebellantes superans Adrianus Ebreos,
Subiugat et revocat quocumque sitos Fariseos,
Nominat hanc Eliam, qua revocavit eos.
Imperat Ebreis per climata, per regionem,
Ut teneant Eliam sub eodem nomine Rome;
Numquam Ierusalem nomen in orbe sonet.[Page 164]

Insuper et septem menses consistere rebus
Fertur, et undenis vitam finisse diebus,
Utilis in populo, dignior ante Deum.

18. *De Antonio iuniore et Aurelio Comodo, fratre suo, 14. ab Augusto, qui regn. annis 13, et de papa sui temporis.*

Anno ab incarnatione Domini 145. Antonius iunior cognominatus Verus cum Comodo Aurelio fratre imperium suscepit. [His temporibus fuit imperator extra catalogum nomine Didius Julianus, qui sepe holeribus et leguminibus in cena contentus est.] [Ejus tempore simulacrum marmoreum moveri visum, est et enea statua Herculis sudavit per multos dies. Nomen istius Comodi senatus iussit abradi.] Hii [duo] Vologesum regem Parthorum, Armeniam, Capadociam Syriamque vastantem, gravi bello presserunt. Antonius anno imperii sui 19. moritur in Pannonia. Cui filius eius Comodus, 15. ab Augusto, succedit. Iste Comodus multos ex senatoribus interfecit, et rei publice per omnia incomodus fuit; nisi quod contra lermanos bellum feliciter gessit. Per idem tempus innumere hereses emerserunt. Inter quas Taciani cuiusdam heresis magis pestifera fuit. Nam ab omnibus animalibus abstinentem predicabat, ingratus existens Deo, qui hec humanis usibus procreavit. Item nuptias refutabat, accusans Deum, qui eas ad restorationem humani generis fecit. Adversus quem Clemens scribens, inter cetera sic dicit: *An et apostolos improbas? Petrus enim et Philippus uxores habuerunt et filias etiam virgines nuptui dederunt.* Eo tempore Capitolium Rome fulmine percuditur, et bibliotheca Romanorum magna magnis studiis composita ibidem concrematur. Aliud etiam incendium Rome tunc exortum, templum dee Veste et palatium et plurimas Urbis partes consumsit. Comodus post multa flagitia perpetrata in domo Vestilia dicitur fuisse strangulatus, 13. imperii sui anno. Cui successit Elius senex. Cetera de Antonio iuniore et de Comodo versifice leguntur. Set hoc nota, quod his diebus mortuo papa Aniceto, succedit Rome Sother. In Alexandria vero Agrippinus erat substitutus. Antiochie autem post Heronem Cornelius est substitutus. Eodemque Cornelio defuncto, Theophilus sextus ab apostolis sedebat.

19. *Item de eodem Pio Antonio versifice narratur, et de papa sui temporis.*

Iunior Antonius rex emulus ecclesiarum
Errorem sequitur sub scismate Catafrigaram,
Fertur et ecclesiis non nocuisse parum. Tunc erat Igninus Romanus papa beatus,
Quatuor atque decem regit annis pontificatum,
Plus quoque tres menses, insuper octo dies.
Imperat Antonius minor annis nunc duodenis;
Comodus imperio post eius tempora venit,
Tractatus cuius iam recolendus erit.

20. *De Comodo imperatore post Antonium iuniorem, qui regn. ann. 22.*

Comodus imperio felici tempore vivit.
Teodosion nunc philosophus sua carmina scribit,
Summus et interpres tunc erat ille sibi.
Discipulus Pauli nunc Trofimus est Arelati,
Presulis Erennii sunt docmate clarificati,
Quosquos Lugdunum sive Vienna capit.

P. 164 v. 3 post deum addit A:] *Apud Francos rex Cilpericus regnat.*

Rex Cilpericus Francorum regna regebat,
Subiectumque ducem fortem de more tenebat,
Rege quiescente, qui sua regna regat.

P. 164 v. 33 post erit addit A:] *Apud Francos Glotharius regnat.*

Glotharius rex Francorum male gesta resolvit,
Fana suis studiis rex in divina revolvit,
Et dedit ecclesiis predia lata suis.[Page 165]

Comodus imperio quindenit vixerat annis,
Insuper et septem Rome digne memorandis,
Regibus et populis carus in orbe fuit.
Nunc et Anacletus Rome stat papa secundus,
Natus apud Calabres, vir nobilis atque facundus,
Annis ter senis qui sua fata dedit;
Bisque decem superadde dies mensesque quaternos.
Eius doctrina legitimus gaudere modernos,
Cuius et in Roma gesta beata sonant.

21. *De Elio imperatore, 16. ab Augusto, qui cognominatur Pertinax, et cronica sui temporis,*

qui regn. anno 1.

Elius senex, 16. ab Augusto, ex hoc, quod ad regnum electus pertinaciter restitit, Pertinax dictus est. Quem quinto mense quo regnare ceperat, vel secundum alios in primo anno imperii sui, Iulianus iuris peritus in placito occidit. Qui dum regnum invadere molitur, a Severo iuxta pontem Milvium vita privatur. [Iste Pertinax ita avarus fuit, ut dimidiatas lactucas et cardos in conviviis apponenteret, cum esset in privata vita.]

Item de eodem Elio imperatore, et de papa sui temporis.

Elius unius anni statione resedit,

Attamen in populo quia sufficienter hobedit,

Viribus et meritis comoda multa dedit. Papa Pius Rome fuit annis tunc duodenis,

Bisque decem superadde dies, quibus ordine sedit,

Plurima Romanis docmata sancta dedit.

[Tunc fuit Avidius cesar extraordinarius, qui iussit militem in expeditione nil portare preter lardum et panem et acetum.]

22. De Claudio imperatore, 17. ab Augusto, et de papa sui temporis.

Claudius imperium recipit cum pace paratum,

Cui fundit sua Roma preces, rogante senatu,

Romanis natum prestet ut esse caput.

Ipse refert: *Vitiis satis est regnasse paternis,*

Nolo meum natum maculis vexare modernis;

Sit sibi divitiis vivere pace suis.

Claudius iste decem minus uno vixerat annis;

Cum quo papa Pius stat tempore commmemorandus,

Cuius et etatem me recitasse patet.

P. 165 v. 9 post sonant addit A:] Apud Francos regnat Dagubertus.

Rex Dagubertus adest, virtutum munere clarus.

Rex populo carus, rex conditor ecclesiarum,

Quem legimus Domino, non placuisse parum.

Huic fuerant bini specioso corpore nati,

Qui venatores perierunt ictibus apri;

Post quorum mortem rex quoque fata capit.

Parvulus ex regis Daguberti prole remansit,

Quem duce tute Pipino vivere sanxit,

Insuper inducit regna regenda duci.

Cum duce Pipino permansit in ede paterna,

Pipinus Grossus puerum regnumque gubernat.

Moreque tutoris regia iura colit.

P. 165 v. 22 post dedit addit A:] De Francis et Pipino Grosso duce Francorum.

Francia rege caret, Pipinus cuncta gubernat,

Et tenet infantem Daguberti lege paterna.

Sub duce Francorum tunc erat omne forum.[Page 166]

23. De Severo imperatore, 18. ab Augusto, et de papa sui temporis, qui regn. annis 15.

Anno ab incarnatione Domini 195. Severus natione Afer, qui ex eo, quod ultus erat imperatorem, Pertinax dictus est, 18. ab Augusto, imperium accepit. Iste ferocissimus natura, quintam persecutionem movit in christianos.

Iudeos et Samaritas, Parthos, Arabes et Gebanos bello subpressit. Eo tempore pater Origenis Leonides in Alexandria martirium

acepit, Origene adhuc pueru[m] plurimum affectante. Qui cum ad iuvenilem pervenisset etatem et tam in Alexandria

quam aliis regionibus magnifice tam viris quam mulieribus predicaret, timens, ne lubrica

iuvenilis etas circa mulieres in vitium laberetur, ipse sibi manus iniecit et sua genitalia ferro succidit;

existimans etiam ad litteram illud esse servandum, cum dicitur: *Beati qui se castraverunt propter regnum celorum.*

Iste Origenes multa in ecclesia Dei volumina egregia composituit. Severus magnam partem Brittannie muris

communivit. Ubi 15. imperii sui anno apud Eboracum diem ultimum clausit.

[Severus fieri senatus consultum decrevit, ne liceat imperatori occidere senatorem sine consensu senatorum. Iste

multos dampnavit quia iocati sunt, alios quia tacuerunt, alios quia futura predixerunt. Unde dixit senator: *Utinam*

non natus aut mortuus fuisset, quia nimis crudelis videbatur. Eo tempore fuit Paschenius cesar extraordinarius

Niger, formosus et honestus. Cuius vox sonora, loquente eo in contione, per mille passus in campis audiebatur.

Istius milites cum ab eo in Egipto vinum quererent, respondit: *Nilum habetis, cur vinum queritis.]*

De eodem imperatore Severo.

Sumptus ad imperium Severus cesar habetur. Simachus interpres sub eo vixisse docetur.

Pace bona tenuit cesar in Urbe decus.

Nunc in Alexandri studium datur urbe vigere,

Quo didicit que post docuit pollens Origenes,

Cuius et ecclesia docmata magna tenet.

Severus plenos quindenos perficit annos.

Papa Sother nunc sede sedet Rome venerandus

Annis undenis, cuius et hora venit.

24. De Antonio Aurelio Caracalla imperatore.

Anno ab incarnatione Domini 214. filius Severi Aurelius Antonius Caracalla imperium suscipit.

Caracalla iste asperior patre et libidinis intemperatissimus, novercam suam non timuit habere uxorem. [Ipse medicos dampnavit, qui quartanariis vel tertionariis remedia in collo appendebant.] Iste dum contra Parthos bellum molitur, ab hostibus inter Edissam et Carram occisus est. Cui Macrinus succedit, qui eodem anno occisus est.

P. 166 v. 10 post clausit in marg. add. B1 quae recepit B2:]

Nota, quod tempore Severi apud Alexandriam post Iulianum episcopum Demetrius est substitutus. In

Antiochia Serapion episcopus ordinatur. Ierosolimis autem Narcissus, apud Cesaream Palestinam Teophilus.

P. 166 v. 25 post venit addit A:] Apud Francos de duce Pipino Grosso.

Pipinus Grossus dux ille supra memoratus

Nunc tenet infantem Daguberti semine natum,
Iudicio patrum quem decet esse caput.
Invidit infanti miranda cupido potentis,
Raditur inde caput pueri regnare volentis,
Parva monasterii membra cuculla tulit.
Post et in exilium iubet ut puer ipse feratur,
Missus et ad Scotos vel longius ire putatur,
Et maris et terre multa pericla ferens.
Filius ergo ducis Grimoaldus iura corone
Substulit et regni rapuit violenter honorem,
Regali more tollere cuncta volens.
Ira movet proceres, turbantur ubique potentes,
Mirantes servum regis diadema ferentem,
Prelia conficiunt, mox et in arma ruunt.
Victus et in bello Grimoaldus captus habetur,
Carceris orribilis perimi statione iubetur,
Totaque turbata Francia rege vacat.[Page 167]

Item de eodem Antonio Aurelio Caracalla versifice, qui regn. ann. 8.

Tertius Antonius Severi filius extat,
Imperii qui Romulei fit diva potestas.
Ipsius Antonii longa columna fuit.
Nunc gens Gothorum movet incentiva malorum,
Opprimit Ausoniam, Persas terramque Medorum;
Primus et ipsorum fervet in orbe dolus.
Presul Eleuterius quindenos perficit annos,
Sex menses et quinque dies, Grecus venerandus.
Vixit et Antonius sex simul atque duos.

25. *De Macrino imperatore*, 19. ab Augusto, qui regn. ann. 1.

Cesar Macrinus spatio perpenditur imus;
Nil habet istorie, si promere gesta velimus,
Vix anni spatio vixit in orbe suo.

Cesare Macrino post tempora pauca relicto,
Annis papa decem consedit nomine Victor,
Atque duos menses addo decemque dies.

26. *De Marco Aurelio imperatore*.

Anno ab incarnatione Domini 221. Marcus Aurelius, sacerdos templi Eligaballi, 20. ab Augusto, sortitur imperium.
Iste fertur vitam duxisse flagitiosam. Ipse etiam anno imperii sui 4. a tumultu militum cum matre sua necatur.

P. 167 v. 10 post duos addit A:]

Francia fortuitu proprio dum rege careret,
Et Gaudina duos reges fratresque teneret,
Hii duo cum Francis iam nova bella gerent.
Consilio matris iuvenes reges memorati
Bella parant gratis, veniunt pugnare parati,
Climata Francorum tollere posse rati.
Miles erat validus Pipini semine natus,
Carlo Martellus genitus per concubinatum,
Nobilis Alfeida tunc sibi mater erat.
Iste Maguntinum regnum defendere querens,
Francorum populis solita virtute coheret;
Dux etenim patrie tunc erat atque pater.
Viribus istius Francus sua iura tuetur;
Instructis cuneis vehementer in arma movetur
Congreditur cetus, pugnat uterque secus.
Karlo manu propria reges utrosque peremit.
Francus ad hec victor reliquos percussor ademit,
Quos ubi pugna premit, Gallia tota gemit.
Dux ubi procedit, pars altera victa recedit.
Hos ita dum cedit, cito Gallia prorsus obedit.
Parisius sedit dux; nova iussa dedit.
Iussa dedit Carlo, quod non Gaudina vocetur,
Set quesita sibi quasi Francia facta putetur,
A Francis genita nomen Francigena.
Insuper ad laudem venture posteritatis
Semper Karlingi sunt a Carlone vocati:
Hoc sibi pro titulo dux dedit ille suo.
Quos sibi Gaudinos tunc Gallica lingua vocavit,
Francia Francigenas bene Karlingosque notavit,
Nomine participes et probitate pares.

P. 167 v. 17 post dies addit A:]

Indomitos Friones Carlo Martellus adegit,
Regem Francigenam belli statione subegit,
Undique Francorum climata salva regit.[Page 168]

Cui succedit Aurelius Alexander, omnium voluntate creatus. Iste ex matre nomine Mamea christiana natus, rem

publicam laudabiliter gubernavit; Xersen quoque regem Persarum maximo bello devicit. Consilio Ulpiani rei publice

se modestum et suavem exhibuit. Ipse Alexander a tumultu militari anno 12. apud Maguntiam occiditur.

Tempore Aurelii, mortuo papa Zeferino, succedit Calixtus; mortuo cito Calisto, succedit Urbanus; Urbano

similiter cito mortuo, succedit Pontianus in papatum Rome.

[Per illud tempus Glodius Albinus cesar extraordinarius quingentas ficas passas ieunus comedit et

100 persica Canpana et melones Ostienses 10 et uavarum Lavicanarum pondera 20 et ficedulas 100 et ostrea 400. Venerem aborruit, in agri cultura doctissimus fuit.]

27. *De eodem Aurelio imperatore, 21. ab Augusto.*

Imperat Aurelius laudatus in orbe monarchus.

Arrius erroris noviter pretenderat arcus;

Cogitur ecclesia pace carere sua

Romanus presul Zeferinus, vir venerandus,

Bis denos pariterque duos pervixerat annos,

Fertque duos menses vita decemque dies.

Anno ab incarnatione Domini 238. Maximianus et Diocletianus habent imperium. Quorum temporibus

Origenes librum de Martiriis composuit.

[His temporibus Antonius Ieta cesar extraordinarius precepit gramaticis, ut voces animalium sic appellarent: agni balant, porcelli grugniunt, palumbes gemunt, ursi seviunt, leones rugiunt, leopardi rictant, elefanti varriunt, rane coaxant, equi hinniunt, asini ragiunt, tauri mugiunt. Per idem tempus Eliogabalus cesar extraordinarius precepit, ut ipse solus Rome deus coleretur. Dicebat etiam, religionem Iudeorum et christianorum Romam esse transferendam. Nomen ipsius Eliogabali, id est Antonii, senatus iussit abradi. Post hunc Diadumenus cesar extraordinarius fuit. Qui dum nasceretur, visus est ab utero diadema portare, hoc est particulam secundine in modum pilei formate, super caput infantis, quam rapiunt obstetrices et advocatis causarum vendere solent. Dicuntur enim causidici per illud iuvari in causis.

28. *De Alexandro imperatore, 21. ab Augusto.*

Alexander dominum se appellari vetuit, epistolas ad se quasi ad privatum scribi iussit, servato tamen nomine imperatoris. Adorari se vetuit, cum iam cepisset Eliogabalus adorari more Persarum regum. Nullam constitutionem sacravit sine 20 viris doctissimis, qui singuli suas sententias ad hoc premeditatas inscribebant. Ipse iussit, ut nemo ad salutandum imperatorem ingrediatur, nisi qui se innocentem cognoscit. Dicebat etiam, eunuchos esse tertium genus hominum nec videndum nec in usu abendum a viris. Alexandri consiliarii fuerunt Ulpianus, Paulus et Papianus. Dicebat etiam, imperium esse in virtute, non in decoro. Christo templum facere voluit eumque inter deos recipere, quod etiam Adrianus dicitur cogitasse, qui templa in omnibus civitatibus iusserat sine simulacris fieri, set prohibitus est ab his qui sacra vel simulacula conservabant. Dicebat enim, omnes homines per hoc christianos esse futuros. Alexander ait: *Tutius est rei publice abere imperatorem malum quam consiliarios eius malos. Unus enim malus a multis bonis sepe corrigitur; multi autem mali ab uno bono rarius emendantur.* Ulpianus dixit Alexandro: *Qui manducat leporem septem diebus, inde pulchrior est.*]

P. 168 v. 15 post dies addit A:]

Apud Francos Carlo Martellus subiugat Allobroges.

Karlo Martellus gentem premit Allobrogorum,

Agmine Francorum regnum subiecit eorum,

Urbe Bisuntina diripit omne forum.

Primus Romanus fit magnus papa Calixtus;

Annos quinque, duos menses vivum damus ipsum,

Et numerando decem plus superaddo dies.

Sequitur:

De Diocletiano imperatore et papa sui temporis et cronica.

Diocleianus pariter cum Maximiano - quindeciesque dies, *quae infra leguntur.* [Page 169]

29. *De Maximino imperatore, 22. ab Augusto.*

Maximinus erat vir miles in Urbe cohortis,

Scandit ad imperium, Christi crudelior hostis,

Obprimit ecclesias miraque dampna parat.

Hic sine decreto cunctoque dolente senatu,

Seditione datus, concendit ad imperiatum,

Criminibus natus, perdere sancta ratus.

[Maximinus senior imperavit annis 11. Sepe in die bibit, de vino anforam magnam Capitolinam, et commedit 60 libras carnium. Sudores suos recipiebat in calices quasi 3 sextarios in die. Quando voluit rectores dare provinciis vel prepositos vel procuratores regionales, nomina eorum examinabat in populo, dicens: *Si quis habet crimen contra eos, dicat et probet; si non probaverit, punietur.* Cum enim christiani in ordinandis suis sacerdotibus semper querant examen, multo magis fieri oportet in rectoribus provinciarum, quibus fortune hominum et capita committuntur. Maximinus iunior litteratissimus fuit. Manus et genua et pedes dabat ad osculandum; quod pater suus numquam fecit. Dicebat enim: *Dii indignantur, si homines ingenui pedes principis osculentur.*]

30. *De Gordiano imperatore, 23. ab Augusto.*

[Gordianus litteratissimus fuit; canicie decorus, vultu pomposus, ore verecundus, corpore subcrassus, moribus modestus, et moribus commendandus. Gordianus iunior, forma pulcherrimus, legitur habuisse decretas concubinas 22; ex quibus omnibus ternos et quaternos filios dereliquit. Fuerunt sub Gordiano tercio Rome elefanti 32, tigres 10, leones mansueti 60, leopardi mansueti 30, belbi id est iene 10, gladiatorium fiscalium paria mille.

Item de Gordiano imperatore.]

Anno ab incarnatione Domini 241. Gordianus, 23. ab Augusto, fit imperator. Tunc Anterius papa defuncto Pontiano successit. Quo mortuo, Fabianus per columbam a celo lapsam et super caput eius manentem dignus episcopatu ab omnibus iudicatur.

Gordianus admodum puer Parthis bellum indicit. Quos dum diversis preliis prospere gestis oppressisset, ipse fraude suorum anno sexto imperii sui super Eufratem interficitur. Cetera versus habent; sed nota, quod tempore Gordiani Pontiano papa Rome mortuo, succedit Antherius. Quo mortuo, Fabianus per columbam demonstratus succedit in papatum. Tunc etiam in Antiochia defuncto episcopo Zebenno, succedit Babilas. In Alexandria vero Demetrio

defuncto episcopo, succedit Eraclas.

Item de eodem Gordiano imperatore narratur et de papa sui temporis.

Gordianus habet sex annis rite coronam.

Celitus emissa recipit miracula Roma.

De Fabiano presule mira sonant.

P. 169 v. 7 post ratus addunt B. C:]

Tresque decemque malis cum rex male vixerit annis,

Urbanus papa tunc Urbe fuit venerandus,

Annis ter ternis vita beata fuit;

Mensibus undenis potuit plus vivere rebus,

Plus quoque bis senis legitur vixisse diebus;

Sancta Cecilia tunc sua martir erat. *Hoc loco addunt B. C quae infra leguntur:]*

Tunc Dioclecianus - dies.

Pergit A:] Karlo Martellus superavit marte Viennam,

Et circa Rodanum iam superat omnia regna,

Urbis Arelati litora magna capit.

Tunc erat Anteros Romanus papa beatus,

Ordine bis senis tenet annis pontificatum

Atque dies totidem; mensis ad ista favet.[Page 170]

Dum foret in precibus sanctorum turba recumbens,

Spiritus in specie legitur venisse columbe,

Indicat in cleris, quis modo presul erit.

Sic Fabianus fieri tunc papa meretur,

Et tribus atque decem pius annis presul habetur,

Ultro mensis adest, bis quoque quinque dies.

Pontianus erat post ipsum papa vocatus,

Quinque tenens annos, bis mensem pontificatus.

Carus et in populis presul uterque fuit.

[His temporibus Maximus et Balbinus extraordinarii cesares fuerunt. Balbinus Maximum quasi ignobilem contempnebat. Maximus vero Balbinum quasi debilem calcabat. Sugestum est Maximo, imperium sine crudelitate non valere. Ipse autem omni fera pessima crudelior fuit.]

31. *De Philippo imperatore, 24. ab Augusto, qui regnat annis 6.*

Anno ab incarnatione Domini 248. Marcus Iulius Philippus, 24. ab Augusto, cum filio suo Philippo imperium sortitur. Iste primus christianus imperator fuit. Anno imperii eius 3. complectus est ab Urbe condita milesimus annus. Qui annus cum gaudio omnium ab imperatore magnificis ludis et sollempnitate celebratur. Anno autem imperii sui sexto per fraudem Detii et per tumultum militarem ipse imperator cum filio suo necatur. Cui successit Decius, ab Augusto 25.

De eodem imperatore Philippo versifice.

Suscipit imperium populo plaudente Philippus;

Iste prior cesar voluit cognoscere Christum

Et dedit ecclesiis predia multa suis.

Dum tenet imperium Christo memorabilis ille,

Principium Rome fuit annus ordine mille,

Illeque sollemnis annus in Urbe fuit.

Cornelius papa sedit regnante Philippo,

Annis tota tribus stat vita decemque diebus.

Annis septenisi cesaris hora venit.

31a. *De Decio imperatore, 25. ab Augusto.*

Anno ab incarnatione Domini 253. Decius ob odium Philippi christiani immanissimam persecutionem, septimam a Nerone, in christianos conmovit. Qua Fabiano papa coronato, Cornelius cathedral Rome suscepit. Decius quarto imperii sui anno cum filio suo inter barbaros interficitur. Cui Gallus cum Volusiano filio suo succedit, 26. ab Augusto.

Huius diebus moritur Origenes anno 70. etatis sue. His diebus beatus Laurentius assus in craticula martirio coronatur.

Et notandum, quod Gallus et Volusianus secundum quosdam similiter Decii sunt vocati. Qui dum contra Emilianum bellum pararent, anno imperii sui secundo imperfecti sunt. Emilianus autem tertio anno, ex quo invaserat imperium, 5. mense vita privatur. Tunc Stephano papa iam mortuo, Sistus Rome tenuit pontificatum.

P. 170 v. 9 post fuit addit A:] De Francia.

Karlo Martellus Gothos certamine vincit,

Guasconie partes nusquam sine marte relinquit,

Et simul Yspania tollere regna parat.

P. 170 v. 28 post venit addit A:] De Francia.

Karli Martelli nunc filius est generatus,

Pippinus Nanus vulgi ratione vocatus,

Cuius et ecclesiis gratia multa datur.

Karlomannus erat Pippini frater et ipse,

Claustra monasterii legitur secreta petisse,

Pippinum solum Francia iura colunt.

Montis ad exacti pergit secreta Siracti,

Indeque Cassini montem monachatus adivit;

Causa mihi patuit, nam requiescit ibi.[Page 171]

Tempore Decii Fabianus papa suscepit martyrium. Cui successit Cornelius papa. Tunc etiam Ierusalimis Alexander episcopus martirio est coronatus. Eracle etiam episcopus Alexandrie similiter. Cui episcopus Dionisius succedit. Cornelio papa martyrio coronato, succedit Lucius. Quo cito mortuo, succedit Stefanus papa. Cetera versus dicunt.

Item de Detio imperatore, 25. ab Augusto, qui regnat ann. 1.

Decius unius anni diadema recepit,
Emulus ecclesie, divina repellere cepit,
Sepeque christicolis verbera seva dedit.
Antonius monachus recolendo nomine clarus
Vivit in Egypto nunc, summus anachoritarum,
Cuius ab exemplis non tenet ordo parum.
Decius in populum dum iure suo dominatur,
Papa simul Lucius tenet Urbis pontificatum,
Orbe coequo pollet utrumque caput.

32. *De Valeriano et Gallieno imperatoribus*, 26. ab Augusto, qui regn. ann. 15.
Anno ab incarnatione Domini 259. post Augustum loco 26. Valerianus in Grecia, Galienus autem a senatu Rome
cesares creatur. Isti octavam post Neronem in christianos persecutionem moverunt. His diebus papa Sistus Rome
et Cyprianus in Cartagine martirio consumuntur. Sisto successit Dionisius. Imperator autem Valerianus captus a
rege Persarum nomine Sapore cecatur, et quamdiu vixit, regi Persarum equum ascendere volenti dorsum suum
curvavit, et ille per dorsum eius tamquam per strepam semper equum asscendit. Galienus autem tam miserabilis
socii sui motus exemplo, erga christianos postea mitior est inventus, et datis decretis instituit, ut, quocumque more
quisque velit, teneat quod divinum est. [Galienus tandem Saporem regem Persarum ad Romanum imperium
traxit et Ciliades devicit. His temporibus Postumus cesar et filius eius Postumus iunior brevi spatio interemti sunt.
Tunc etiam Lolianus cesar a suis occisus est. Victorinus cesar et Victorinus iunior seditione suorum cito occisi sunt.
Similiter Marius cesar perii. Regilianus in Illyrico imperator est factus. Aureolus coactus a militibus sumpsit imperium.]
His diebus Alemanni Ytaliam depopulantur. Gothi Greciam, Macedoniam, Pontum et Asiam pervagantur.
Guandalii et Sarmate Pannonias armati ingrediuntur. Ispania quoque lermanorum inundatione deletur. Parthi autem
Siria et Mesopotamia potiuntur. His malis res publica intus et exterius minoratur. Galienus, deserta re publica, apud
Mediolanum interfectus est. Tunc mortuo papa Dionisio, Felix papa successit. Ea tempestate apparuerunt Manichei.
Quidam enim homo nomine Manes, Perses, moribus et actibus barbarus, exsecrabilem heresim docuit.
Nunc enim Christum se esse dicebat, nunc etiam se esse Paraclitum predicabat, atque ad similitudinem Christi duodecim
discipulos suos ad predicandum mittebat, habens docmata a prioribus hereticis mutuata. Cuius sectatores usque
hodie Manichei vocantur. [Valeriano imperatore capto, Valerius rex Cadusiorum sic scripsit: *Captum Valerianum principem*
principum non satis gratulor; magis gratularer, si redderetur. Romani enim graviores tunc sunt, quando vincuntur. Valerianus
iunior, specie formosus, miserabiliter est interemptus, qui regnavit annis 6.]

Item de eodem Valeriano imperatore, 26. ab Augusto.

Imperii Valerianus dum captat honorem,
Gothica gens validos revocat per regna dolores,
Bella Macedonibus pernitiemque movet.
Christicolas Valerianus dum persequeretur,
A Persis capitul, cecatur, ibique tenetur,
Ludibrium Persis pernitiesque suis.
Nam quotiens Persarum rex equitare volebat,
In dorso Valeriani ceci residebat,
Quo conculcato post residebat equo.

P. 171 v. 13 post caput addit A:] *De Francis.*
Nunc dux Francorum Pippinus Nanus habetur,
Nec probitate minor, sed maior ubique putetur,
Regni defensor ecclesieque decus. [Page 172]

Iam Valerianus quindenum vixerat annum,
Cum Stephanus primus iam papa foret venerandus;
Quatuor hic annos vixit honore suo.
Addo duos menses, quibus est subsistere rebus,
Plus etiam vixit numero ter quinque diebus;
Sic Stephanus requiem papa beatus habet.
Sub Valeriano fit Sistus papa secundus,
Grecus erat genere, doctissimus, ore facundus,
Postque duos annos facta resolvit humo.
Mensibus undenis pervixit sexque diebus.
Cuius temporibus Laurentius assus habetur;
Iam redditum cesis lumina signa crucis.

33. *De Valerio imperatore*, 27. ab Augusto.

Valerii Dionisius stat tempore presul.
Mensibus undenis annisque duobus habetur,
Insuper ad requiem sex superadde dies.
Cesar Valerius sex mensibus, octo diebus,
Fertur ab istoriis Romanis sistere rebus;
Pace bona tenuit quicquid in Urbe fuit.

34. *De Claudio imperatore*, 28. post Augustum.

Anno ab incarnatione Domini 274. Claudius, 28. post Augustum, consentiente senatu fit imperator. Iste Gothos,
qui iam per 20 annos Illyricum et Macedoniam fuerant pervagati, bello repressit atque incredibili strage delevit.
Unde clypeus ei aureus et statua equestris decernitur a senatu. Anno autem imperii sui secundo morbo correptus diem
obiit. Cui Quintilius frater suus ab exercitu substitutus, 17. imperii sui die vitam finivit.
[Inter predictos imperatores et cesares fuerunt extraordinarii multi imperatores et cesares,
quorum quedam nomina hec sunt: Quietus cesar, Odenatus cesar, Balista cesar, Erodes cesar, Meonius
cesar, Balista cesar, Valens cesar, Piso cesar, Hemellianus cesar, Alexander cesar vel Alexandrinus, Saturninus
cesar, Tetricus senior, Tetricus iunior cesar, Herennianus cesar, Timolaus cesar, Celfus cesar, Zenovia
cesar, Victorianus cesar, Titus cesar, Censorinus cesar, Claudius cesar. Istrom omnium gesta non
scripsi, quia eos a cathalogo imperatorum autenticorum exclusos inveni; nomina vero eorum propterea

posui, ne forte me plenitudinem istoriarum lectores non totam inspexisse et explorasse putarent.]

De eodem Claudio versifice narratur, qui regnat annis 12.

Claudius imperii solio residere meretur;
Adversus Gothos armis sua regna tuetur,
Unde per Illiricum contulit arma secus.
Bella per Illiricum dum Claudius ampla moveret,
Gothus in arma ruens, quasi despicit arma timere,
Dimicat et teritur, mira pericla ferens.
Claudius imperio datur annis stare duobus.
Nunc etiam Felix sedet annis papa duobus,
Terque duos menses, adde duosque dies.

35. *De Aureliano imperatore, 29. ab Augusto, qui regn. ann. 5.*

Anno ab incarnatione Domini 276. Aurelianus, 29. ab Augusto, suscepit imperium. Iste cum esset vir bellicosus, circa Danubium Gothos diversis ac magnis preliis vehementer depressit. Iste etiam terminos Romani imperii restauravit in occidente. Deinde in oriente digressus, reginam Genobiam, que, occiso marito suo Odenato,[Page 173]

Syriam usurpaverat, in potestatem redegit. Itaque tam orientis quam aquilonis vicer existens, Romam reversus, Urbem muris firmioribus honoravit. Item in Gallia [Francigenarum] super fluvium Ligerim civitatem Aurelianam nomine suo construxit. Ecclesie Dei benignus prius apparuit; quam in fine vehementer affixit. Ante oculos eius fulmen de celo cecidit, omnibus hominibus terrefactis. Ipse autem paulo post anno imperii sui 5. submergitur in Tyberi.

36. *De eodem Aureliano imperatore versifice, et de papa sui temporis.*

Suscipit imperium vir pessimus Aurelianus,
Ecclesie tormenta parans, erat heresianus;
Mergitur in Tiberi, cessat iniqua manus.
Annis quinque malus tunc vixerat Aurelianus,
Papaque Romanus nunc presidet Euticianus,
Annis ter ternis cui pia vita manet.

Adde decem menses, quatuor adde dies.

37. *De Tacito imperatore, 30. ab Augusto, qui regnat anno 1.*

Anno ab incarnatione Domini 281. Tacitus, 30. ab Augusto, suscepit imperium. Qui in Ponto sexto mense occisus est. Post quem dum Florianus partem imperii invaderet, tertio mense, ex quo id usurpaverat, occisus est apud Tarsum.

Item de Tacito imperatore versifice, et papa sui temporis.

Tacitus unius tulit anni iura corone.
Euticianus erat sub eodem tempore Rome.
Vita brevis Taciti sub brevitate sonet.
Annis ter ternis prefatus papa resedit,
Atque decem menses, quibus illi clerus hobedit,
Bis binosque dies plus sua vita dedit.

38. *De Probo imperatore, 31. ab Augusto, qui regn. ann. 7.*

Anno ab incarnatione Domini 282. Probus, 31. ab Angusto, adeptus imperium, barbaros, qui Gallias occupaverant, fortissimo bello devicit. Ipse autem anni imperii sui septimo a militibus apud Firmium in turri serata interlicitur.

Cui succedit Carus, anno ab incarnatione Domini 288., natione Narbonensis, ab Augusto 32.

39. *De Caro imperatore, 32. ab Augusto, qui regnat annis 6, et de papa sui temporis.*

Carus bella gerens, Persarum parte remota,
Vincit, et est regio Persarum subdita tota.
Fulmine percutitur, dum premit ipsa loca.
Suntque sui nati gladio post pauca necati;
Carinus, Numerianus sunt ambo vocati;
Post annos quinque Carus ab orbe cadit.
Gaius papa sedet undenos circiter annos,
Menses bis binos ipsi iungamus ad annos, Insuper et vite iungimus octo dies.

40. *De Maxentio imperatore, 33. ab Augusto, et de papa sui temporis.*

Cesar septenis Maxentius imperat annis,
Cuius et abscisum Tiberis caput abstulit amnis,
Dum Constantinus rex iugulasset eum.

P. 173 v. 33 post vocati in marg. addit B1:] Numerianus occisus a principe Apro, Carinus autem a Diocletiano.[Page 174]

Qui iugulavit eum, suscepit in Urbe coronam;
Pro nece regis ei tribuit diademata Roma,
Taliter imperium tunc habuisse sonat.
Meltiades nunc papa sedet Rome tribus annis,
Octo dies mensesque duos iungamus ad annos,
Magnus in ecclesiis, maior in orbe fuit.

EXPLICIT PARTICULA XXI. PARTICULA XXII.

1. *De Maximiano et Diocletiano imperatoribus, qui regnant annis 20, et de papa sui temporis, et de Constantino Magno.*

Anno ab incarnatione Domini 290. Diocletianus, ab Augusto 33., ab exercitu imperator creatur. Qui paulo post Maximianum ex cesare socium sibi et parem fecit imperatorem, Constantium vero et Galerium cesares creavit. Iste et ille Constantius, qui ex uxore Theodora, privigna ipsius Maximiani predicti, genuit sex filios, ex Elena vero sua concubina genuit Constantinum. Hanc Elenam quidam ex patria Treverorum [in Francia] oriundam asserunt. Alii vero de regno Persarum; ubi ipse Constantius ad tributa colligenda transmissus eam legitur contigisse. Imperatores autem Diocletianus et Maximianus in ecclesia Dei persecutionem decimam a Nerone per 11 annos immanissimam sevius et crudelius aliis omnibus protraxerunt. Ubi quot milia christianorum interierint,

non posset litteris explicari. His temporibus imperatores beatum Mauritium in Gallias ad expugnandos hostes imperii cum legione sua destinaverunt. Qui, a beato Marcello papa cum legione sua christiana benedictione percepta, simul cum imperatore Alpes per montem Iovis transcendent. Cumque apud [villam] Othodorum ad idolatriam, sicut ibi mos fuerat, vocarentur, ipse suique omnes Christum confitentes, dum sacrificia idolorum agere rennunt, martirio coronantur. Paucos tunc ex ipsa legione fugientes Romani inseguuntur. Ex quibus iuxta fluvium Renum novem occidunt in opido quod Bunna vocatur [prope Coloniam in Francia], Gerionem vero cum sociis suis 330 in suburbio Coloniae [id est] Agrippine urbis occiderunt. Similiter etiam Victorem cum 340 sociis suis in urbe sub Colonia, olim Troia, nunc vero Santis vocata, interfecerunt. Constantius ab Alemannis prius victus, secundo prelio tam acriter vicit, ut 70 milia hostium ibi cesa numerentur. [Diocletianus ita ditavit suos amicos, ut paupertatem evaderent, nec tamen possent divitiis superbire.] Cum igitur imperatores ecclesiam mirabiliter afflixissent, ambo iudicio Dei in dementiam versi, imperii dignitatem refutant, habitumque imperiale deponunt, Diocletianus in Nicomedia, Maximianus vero Mediolani, anno 20. imperii Diocletiani. His diebus pape Marcellino succedit Marcellus. Cui cito successit Eusebius papa. Post quem paulo post Meltiades Rome papatum suscepit. Relicto imperio ab augustis, Constantius et Galerius, qui eorum cesares erant, imperium inter se in duo divisorunt. Galerius quidem Illiricum, Asiam et Orientem retinuit; Constantio autem Italia, Gallia et Africa in sortem devenit. Iste Constantius erga omnes homines erat clemens et erga Deum religione utebatur. Cultores Dei libenter venerabatur. Qui in Britannia moriens filium Elene Constantinum in Gallia imperatorem constituit.

Tunc Dioclecianus princeps cum Maximiano,
Imperium tenuere simul, nullo mediano,
Unus eis fuerat questus et una manus.
Sanctis ambo simul reparant per climata bellum,
Et simul in Christum satagunt conferre duellum,
Perdunt ecclesias, scripta beata cremant.
Hii reges primi gemmas in veste tulerunt,
Nec prius in panno gemme coriove fuerunt,
Purpureos reges ante fuisse ferunt.
Rex Diocletianus sedet annis bis duodenis,
Et Marcellinus tribus annis papa resedit,
Atque duos menses per quoque quinque dies.[Page 175]

2. De Maxentio imperatore, filio Maximiani, 34. ab Augusto.

Milites pretorii Maxentium, de quo supra diximus, Maximiani imperatoris filium, Rome imperatorem augustum creaverunt. Cuius pater Maximianus, qui iam imperii dignitatem reliquerat, cum audisset Constantium Gallis imperare, transit in Gallias, intendens Constantium dolo circumvenire. Qui a filia sua, uxore Constantini, proditus, et a Constantino fugatus, in Massilia est occisus. Galerius autem imperator dum in christianos per decem annos persecutionem crudeliter exerceret, tandem a Domino castigatus, dissolutis introrsus visceribus, vermes superius eructabat. Desperatus itaque a medicis, penas illiusmodi iudicio Dei in ultionem sibi datas esse cognovit. Unde et a persecutione christianorum iussit cessari. Ipse autem paulo post cum eodem dolore vitam finivit. Interea Maxentius imperator Rome nimiam severitatem in civibus exercebat; atque inter alia facinora uxores senatorum aliorumque nobilium Romanorum violenter ad suam libidinem rapiebat eisque publice abutebatur. Ipsos senatores, obiecto eis falso crimine, proscribebat. Magicis artibus utebatur in tantum, ut pregnantes feminas eviscerari preciperet et locum infantis in ventre prospiceret. Ibique factis precantationibus magicis, futura sibi faciebat predici. Igitur adversus eundem sceleratissimum tyrannum Constantinus iam amicus factus christianorum, cum a Romano populo clam vocaretur, et ipse ad hoc preparasset exercitum, erat anxius atque sollicitus, quo modo sine gravi hominum strage Maxentium vinceret. Nocte antem soporatus, signum crucis igneo fulgore nitentis ad orientem per visionem in celo conspexit. Atque admiratus quid hoc esset, dum causam perquireret, angelos ad se audit loquentes: *O Constantine, in hoc vinces*. Mane autem facto, vocat ad se milites christianos, et cognito, illut signaculum christiane fidei fuisse, gavisus est valde super visione, frontem suam signo crucis Christi munivit, seque futurum christianum promisit si victoriam obtineret. Orabat autem, ut sine strage Romanorum civium a Deo victoria prestaretur. In quo etiam Deus eum mirabiliter exaudivit. Cum enim Maxentius naves iuxta pontem Milvium in modum muscipule ad decipiendum ignarum militem callide collocasset, Constantino autem iam in prelio apparente, Maxentius de victoria omnino desperasset, cito, quasi spiritu maniaco incitatus, urgentibus hostibus ad pontem Milvium fugit, et in ipsa machinamenta navium, que hostibus preparaverat, repente prosiliit; ibique in Tiberi submersus, vitam finivit. Nullus preter eum ex utroque exercitu legitur in eodem prelio periisse. Cumque Constantino Rome cum ingenti gaudio pararetur triumphus, iussit non sibi, set domino Ihesu Christo victoriam recognosci. Crucem autem in curru triumphali precepit constitui et adorari. Postea Constantinus a Silvestro est baptizatus. Quod autem de lepra eius legitur, [quibusdam] videtur apocrifum, quia in nullis libris autenticis neque in cronicis reperitur. Nota, quod anni a tempore Petri apostoli principis apostolorum usque ad Silvestrum papam sunt 299 et 12 dies. Melziade autem papa mortuo, successit Silvester, a quo in basilica Lateranensi baptizatus est Constantinus. Rursus etiam, sicut in multis ac diversis cronicis legimus, sicut etiam istoria tripartita innuere videtur, ab Eusebio Nicomediene episcopo in villa que dicitur Aquilona [Constantinus] rebaptizatus fuisse narratur. Tres quoque filios eius postea eodem errore legimus deviasse.

Cetera de Maxentio versibus proponuntur. Alia plura de Constantino scribimus, que presenti pagina supponuntur.

3. De Constantino Magno imperatore, 35. ab Augusto.

Constantinus factus christianus, pacem omnibus ecclesiis reddidit. In quo facto Licinius augustus, collega eius, consensit. Ambo itaque imperatores communiter legem faciunt, ut Christus, qui Urbem a tirannide Maxentii liberavit, ab omnibus colatur. Item ipsi ambo Galerio Maximino imperatori, qui tunc Orientem tenebat, super eadem causa scripserunt. Galerius autem in tabulis eneis prius edictum perpetuum dederat, ut christiani ubique punirentur. Recepto vero amborum edicto imperatorum, consensit; et ne amplius pro fide christiana aliquis puniretur, per omnia loca scripto imperiali precepit. Reddidit etiam causam, quia christiani quanto magis puniuntur tanto plus crescunt. Mandat etiam, ut ad cultum deorum nullus nisi propria voluntate cogatur. Post pauca Galerius Maximinus Licinio augusto, rupto federe, bellum indicit. Ex qua causa

multis tam urbibus quam provinciis profligatis, tandem venitur ad prelum. Ubi cum Galerius exercitum suum fundi consiperet, turpiter aufugit. Inde reversus ad propria, omnes sacerdotes suos tamquam deceptores interfecit. Postea cum gravissimis morbis a Domino se affligi perciperet et mortem cerneret inminere, sera penitentia motus, Deum christianorum confitetur, et pro eo scribit hoc modo: *Imperator cesar Galerius, maximus, Germanicus, Sarmaticus, pius, felix, invictus, augustus.* Indesinenter curam provincialium nostrorum gerentes, utilitatibus eorum consulentes, que ad commune et publicum bonum spectant, numquam desimus providere. Unde cognitum esse omnibus non dubito, quod ex decreto augustom imperatorum Diocletiani et Maximiani, parentum nostrorum, ab officialibus imperii prede et direptiones multe sunt facte. Igitur, ut in posterum omnis metus christianis et ambiguitas auferatur, huius nostri edicti lege sanccimus, ut omnibus hominibus innotescat, licere omnibus hiis qui christianam sectam religione venerantur[Page 176]

per nostre indulgentie largitatem, ut unusquisque quemadmodum vult et prout animo libet, religione christiane sollempnitatique deserviat. Set et domos orationis, id est dominicas edes, pro voluntate eorum permittimus. Illud etiam hac lege sanccimus, ut, si que domus vel agri vel quelibet predia ex bonis christianorum ante ac imperatorum iussionibus ad ius fisci fuerint sociata, si qua comparata etiam ab aliquo sunt vel distracta vel dono donata, hec omnia in antiquum ius christianorum precipimus revocari et propriis dominis universa restitu. Respice, lector, hec fuit mutatio dextere Excelsi. Post hec Galerius propter diversos morbos ac diuturnos luce oculorum privatus, finem vite recepit. Licinius autem imperator, collega Constantini, qui prius christianis sese benignum exhibuit, omnes christianos a palatio exclusit, et persecutionem omnibus intemperavit. Contra quem Constantinus exsurgens, vicit eum preliis diversis, primo in Pannonia, deinde sepius terra marique devictum ad deditioinem coegit, tandemque, occidit.

P. 176 v. 10 post occidit addunt B. C. D:]

Hic transfertur imperium a Roma in Bizantium.

Igitur Constantino absque socio monarchiam obtinente, ecclesia diutissime tribulata respirat, plena in omnibus pace recepta. Tunc Constantinus generalissimum fecit edictum, ut per totum mundum christiana religio teneatur. Tunc imperator Silvestro Romano pontifici regalia insignia concessit; et ipse, ut maiorem ecclesiis daret quietem, curie tumultum amovit, seque cum omni pompa sua Bizantium in regionem Grecorum transvexit. Ex qua donatione videtur Romane ecclesie Roma cum Italia et Gallia fuisse a Constantino collata. Imperii vero fautores asserunt, Constantium non ita regnum dedisse, set Romanos pontifices tamquam summi Dei sacerdotes ob divinam reverentiam in patres elegisse, ut ab eis debeant benedici eorumque apud Deum orationibus adiuvari. Adiunt etiam adprobationem, quia Constantinus, cum inter filios suos orbem divisisset, uni dederit Orientem, alteri Occidentem, et tertio Tholomaidam cum Babilonia. Quam rem honestus princeps non fecisset,

si regna occidentalia, cum quibus et Italia comprehenditur, ecclesie contulisset.

Theodosio etiam aliisque multis religiosis imperatoribus Romam cum regnis occidentalibus in sortem

venisse ac tenuisse affirmant. Ad hec imperiales disputatores euangelia inducunt, ut illud: *Reddite*

que sunt cesaris cesari, et que sunt Dei Deo. Item: Dominus ipse tributum pro se et

pro Petro persolvit. Paulus etiam dicit: *Cui honorem, honorem; quia omnis potestas a domino*

Deo est. Hec dicens ipse Paulus tunc non Petrum intellexit in verbo, set inpiissimum

Neronem, qui totius orbis tenebat imperium. Introducunt etiam Augustinum dicentem:

Quo iure possides villam, divino aut humano? Divino, quia Domini est terra et plenitudo

eius. Si humano? Ergo a regibus. Si dicas: Quid mihi et regi? respondet: Quid tibi et possessioni?

Ecclesie autem defensores ita respondent: Christus ecclesiam suam mundanis

possessionibus, que regalia dicuntur, voluit honorari. Non est credendum, quod Deus ecclesiam

suam, quam sanguine suo redemit, cui misit Spiritum sanctum paraclitum de celis,

aliquo spiritu erroris decipi permisisset, ut ea que non debuit possideret. Multi enim viri

probate vite regalia actenus tenuerunt, qui cum hiis regnum Dei acquisisse creduntur. Aliis

etiam modis quam plurimis posset probari, quod et Constantinus ecclesie regalia iuste contulit,

et ecclesia licite suscepit. Si enim queritur, unde reges hec habeant, respondent: *Dei*

ordinatione et electione populi. Quod si Deus hec tribuendo regibus iniuste non fecit: quanto

magis iuste fecit Deus ordinando, ut a regibus, quibus ipse dedit, ad personam ecclesiasticam

transferrentur? Sicut Deus voluntatem populi ad ordinandum regem sub uno consensu disponit,

ita etiam principis voluntatem ad largiendum ecclesie regalia provocavit. Cor regis

in manu Dei, omnisque potestas a Deo est. Ergo et ecclesie potestas in terris [sicut et

in celis] a Deo est. Igitur et Deus regem habere regalia iuste disposit, et princeps iuste

dedit ecclesie, et ecclesia licite digneque suscepit. Ego autem, ut de sensu meo loquar:

Utrum Deo magis placeat gloria et exaltatio ecclesie, que hoc tempore est, aut humiliatio,

que primitus fuerat, confiteor me ignorare. Videtur quidem multis primus ille status sanctior,

iste felicior. Assentio autem matri nostre sancte Romane ecclesie, que fundata est supra

petram, id est Christum; credo quod credit, sentio quod sentit, estimo possidenda que possidet.

Quod enim ecclesia nullo errore decipi possit, inde credendum est, quia porte inferi

non prevalebunt adversus eam. Quod autem fides eius manet in eternum, inde credendum

est, quia dixit Christus: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua.* Cetera super

hiis questionibus maioribus nostris solvenda relinquimus. Pauca tamen versifice adhuc de

Constantino dicemus.[Page 177]

Item de eodem Constantino imperatore 34. ab Augusto.

Rex Constantinus, si scribere vera velimus,

Verus christicola fuerat sub tempore primo;

Novit et hoc oriens occiduusque sinus.

Annis bis denis rex cum diademate sedit.

Eusebius binis annis tunc papa resedit,

Insuper et mensem, ter quoque quinque dies.

Sub Constantino Silvester papa notatur,

Fertque quater senis minus anno pontificatum,

Atque decem menses fert totidemque dies.

Babtizavit eum Silvester; idemque fatemur,
Arrius post hec corrupit, et inde dolemus,
Scismate namque suo commaculavit eum.
Hoc fuit in villa, quam rite vocant Aquilonam,
Quando rebabtizans fedaverat ipse coronam:
Scripta tripartita testificantur ita.
Presulis Eusebii manibus Nicomediensis,
Turpe tulit lavacrum rex, turpia docmata sensit,
Tres quoque filioli sic sapuere sui.
Rex Constantinus proceres ex Urbe Latinos
Duxit ab Ytalia, fierique coegit Achivos,
Constituens Romam rebus et arte novam.
Transtulit imperium Grecis tribuitque favorem,
Dans alienigenis, quem Roma tenebat, honorem,
Itala destituens, Grecula regna colens.
Cardinis imperii tunc partibus enumeratis,
Terna tribus tribuit regalia climata natis,
Tresque tribus iubet hiis participare datis.
Occiduos primo, Grecos dedit ille secundo,
Ternus habet Babilon Tholomaidaque iure rotundo,
Taliter instituit quicquid in orbe fuit.
Ipsis temporibus crux sancta reperta levatur,
Elena sancta fuit, cuius studiis veneratur, Ut sit in omne latus crux benedicta capud. Cum Constantino Marcus quoque papa
resedit. Cui binis annis populus Romanus hobedit,
Octo sibi menses adde decemque dies.
Inter Silvestrum Petrumque dies numerando,
Colligo ter centum minus uno circiter annos,
Si numerando decem iungo duosque dies.

4. *De tribus filiis Constantini, qui regn. ann. 24, Constantino, Constantio et Constante*, 35.

ab Augusto.

Anno ab incarnatione Domini 341. Constatinus, filius Constantini, suscipit imperium, cum duobus fratribus suis, Constantio et Constante, 35. ab Augusto. Iste a quodam presbitero, Arrii discipulo, deceptus, in Arrianam heresim incidit. Arrius eodem tempore ab Alexandro episcopo ab urbe Alexandria propter suum errorem erat electus. Eusebius autem episcopus Nicomediae, qui Arriano veneno erat infectus, imperatori Constantino iuniori suadet, ut concilium celebretur et Arrio ibi audience concessatur. Itaque tam Arrius quam Alexander ad concilium in palatum Constantinopolitanum vocantur. Ubi Alexander tota nocte in oratione persistens, causam ecclesie Domino commendabat. Mane facto, Eusebius Arrium ad ecclesiam vocat. Qui dum eundo illuc humane necessitatis causa ad secessum declinat, iusto Dei iudicio viscera, quibus fetidum errorem portabat, in locum fetidissimum evisceratus, per inferiorem corporis meatum emisit et mortuus est. Fautores Arrii cum pudore et confusione fugerunt. Attamen rem gestam imperatori celantes, per eunuchos cesaris contra catholice fidei doctores insurgunt. Post paucos [Page 178]

dies Alexander moritur. Cui Athanasius est substitutus. Qui ferventis ingenii et in negotiis ecclesiasticis vigilantissimus, non solum contra hereticos subtilis, set etiam contra imperatorem stetit pro ecclesia fortissimus agonista. Cuius virtutes et labores et fructus qui scire desiderat, legat istoriam tripartitam.

[*De vita et errore Arrii.*

Quia de errore Arrii fecimus mentionem, ratio suggerit, ut etiam de vita eius aliquid explicemus. Arrius igitur presbiter Alexandrine urbis fuit et magister scole sub beato Petro tunc ibi pontifice. Qui Petrus cum fuisset comprehensus et in carcerem missus, apparuit ei dominus Ihesus Christus cum scissa tunica et dilacerata. Cui cum catenatus assureret, diceretque: *Domine, quid est hoc, cur talem video te?* respondit Dominus: *Arrius me scidit. Vide, ne illi communices.* Ignorabat tunc Petrus eius errorem. Passo vero illo Petro, in Alexandria sedem pontificalem suscepit Achilis, post quem Alexander. Sub quo error Arrii manifestus et pervulgatus est. Hac de causa collecta est sinodus Nicenea, in qua 318 patres convenerunt. Ubi etiam affuit Constantinus imperator. Ibique vesanus error Arrii ipso imperatore subscrivente dampnatus est. Arrius vero, sicut supra taxavimus, omnia viscera tunc in ultione Dei effudit.]

Constantinus dum contra Constantem fratrem suum bellum informat, iuxta Alsam fluvium non longe ab Aquilegia a ducibus eius occiditur. Constantius, occiso Constantino, solus Orientem tenuit. Constans autem tenuit Occidentem. Itaque heretici Arriani metuentes, ne forte, si Athanasius adeundi principem acquireret facultatem, ipsum imperatorem catholica fide ac religione imbueret, ipsi ad imperatorem prius accedentes, circumveniunt eum, mentientes Athanasium esse virum sceleratum et flagitosum, hostidentes ei manum cum brachio cuiusdam Arsennii, quam dicebant Athanasium ad exercendam artem nicromanticam instinctu demonum a corpore ipsius Arsennii abscidisse. Ad hec iussu cesaris sinodus apud Tyrum congregatur. Ubi Athanasio ducto in causa, astitit predictus Arsennius, habens utramque manum. Quo comperto, hereticorum mendacia cognoscuntur, et ipsi mirabiliter erubescunt. Nec tamen Constantius imperator et ipsi heretici a persecutione Athanasii quiescunt; immo eum ad fratris sui Constantis imperium transire compellunt. Ipse autem ab imperatore Constante satis humane susceptus et honorifice habitus et in cathedralm suam postea potenter remissus est. Mansit autem tunc ibi in ecclesia Treverorum cum Maximo eiusdem ecclesie episcopo. In quo loco fidem catholicam, scilicet *Quicumque vult*, scripsisse asseritur.

Eo tempore Liberius ab imperatore Constantio in exilium truditur, et Felix suus diaconus ei ab hereticis subrogatur. Inter hunc Liberium et Silvestrum medius sedit papa Iulius. Isdem temporibus Victorinus retor et Donatus grammaticus Rome clari habentur. Floruerunt tunc in ecclesia Dei gloriosi pontifices Paulinus Treverensis, qui Maximo successit, Dionisius Mediolanensis, Eusebius Verzellensis et Ylarius Pictavensis. Qui omnes propter testimonium fidei catholice in exilium tunc missi fuerunt. Ex quibus Ylarius scripturarum suarum variis monumentis Gallicanam ecclesiam, adhornavit.

Constans imperator adversus Saporem regem Persarum vario eventu novem prelia gessit. Novissime autem indiscrete, congressus, fugit; et postea in opido Elenau iuxta Ispaniam dolo principis nomine Magnentii occisus est.

Idem Magnentius apud Augustudunum invasit imperium. In Illirico vero milites quendam Veteranionem senem creant imperatorem. Constantius interea fratrem intendit ulcisci. Unde Veteranionem primo purpuram deponere compulit. Postmodum etiam cum eo acriter dimicavit. Magnentius autem vinctus apud Lugdunum se ipsum occidit; et frater eius Decennius, quem ipse in Gallia cesarem creaverat, laqueo se ipsum suspendit. Cetera de tribus filiis Constantini Magni et de Arrio pauca versifice ponimus.

Item de eisdem filiis Constantini versifice narratur.

Cum Constantino Constans tenet omnia frater,
Catholicos qui persecutur tota feritate;
Regibus Eusebius Arrianista placet.
Contra catholicos dum disputat Arrius arte,
Nature secreta petens, divertit ab arce, Qua male dum crepitat, viscera pressa crepant.
Presul Athanasius et Ylarius absque ruina
Ordine catholico reparant modo docmata prima,
Ordo quibus cleri catholicandus erit.
Constans cum fratre sedet annis bis duodenis.
Magna salus cleri tunc Marcus papa resedit,
Cuius et ecclesiae regula docma dedit.
Hic octo menses et binos perficit annos,
Bisque decem vixisse dies presul venerandus
Fertur et in populo mira dedisse suo.
Iulius archatum Constante sedente beatus
Undenis Rome tenet annis pontificatum,
Ter ternos menses papa decemque dies.[Page 179]

Constans cum fratre semper fuit Arrianista.
Exilio Iulium papam transmisit ob ista.
Constans morte perit, papa solitus erit.
Nunc quoque gramaticae summus Donatus in arte
Iheronimo cum discipulo docet edere partes:
Nos quoque discipulos condecet esse suos.

6. *De Iuliano apostata imperatore 36. ab Augusto.*

Anno ab incarnatione Domini 364. Iulianus post Constantium suscepit imperium, ab Augusto 36. Constantius eum, dum adhuc viveret, creaverat cesarem. Qui prius ab imperatoribus fuerat clericus et lector ordinatus; set postea a militibus seductus, cingulum militare suscepit. Iulianus a Constantio cesar creatus, cum de Germanis et Alemannis magnifice triumfasset et elatus de prosperis successibus in quoddam templum intrasset, corona, que ibi pendebat, cecidit forte super caput ipsius. Quo viso, milites per hoc signum predictant sibi imperium a diis auguriatum. Hoc itaque augurio et priori prosperitate levatus, Iulianus imperii nomen usurpat ac fidem Christi omnino contempnit. Constantius interea contra Persas parat exercitum, set fraude Iuliani comperta, Romam ad civile bellum revertitur; set non pervenit, quoniam in ipsa via diem suum clausit, anno sui imperii 24. Iulianus igitur augustus creatus, prima fronte quasi facta predecessorum suorum arguens, precepit ab exiliis episcopos revocari. Deinde arte potius quam violentia ecclesias debilitare intentat. Nam quasi religionis intuitu, dicebat clericos a ludis et a militia, postrem ab omni terrena possessione arcendos, tamquam eos, quibus lex euangelica dicit: *Nisi qui renuntiaverit omnibus que possidet, non potest meus esse discipulus.* Templa paganorum precipit aperiri. Fastigia imperialia, ut sunt cocci, eunuchi, tonsores, et cursus publicos equorum et mularum tamquam philosophus imperat amputari. Lectionibus nocte vigilando atque scribendo, in die vero in senatu scripta sua recitando operam dabant. Unde et philosophos prorsus anplexus, solus post Iulium [Cesarem] imperator filosofus dicebatur. Scriptis autem suis imperatores suos predecessores et etiam christianos admodum lacerabat. His diebus erant in ecclesia Dei episcopi religiosi et clarissimi Miletus Antiocenus, Maris Calcedonensis, Basilus Cesariensis, Gregorius Nazanzenus. Ex quibus prefatus Maris episcopus Calcedonensis, dum Iulianus Fortune sacrificaret, restituit ei in faciem. Qui philosophica moderantia usus suaviter arguit episcopum, his verbis: *Neque Galileus tuus te potuit a cecitate curare.* Cui sic respondit Maris episcopus: *Ego pro cecitate mea gratias ago Deo meo, quia hoc in me propterea factum est, ut te impium apostamat non viderem.*

Item de Iuliano.

Iulianus secundum Pictagoram dicebat, in se spiritum Alexandri Magni requievisse. Ipse quoque ad instar Alexandri totum orbem sibi subiugare pararat. Qua intentione dum cum exercitu ad expugnandam Persidem pergeret et in eundo Basilio Cesariensi episcopo sueque ecclesie minaretur post peractum bellum Persarum in reversione sua mortem inferre, ipse, dum in prelio vertitur, telo de celo misso penetratur. Qui dum telum ab alto contra se venire videret, non corde penituit, set obstinatus Christo improveravit, dicens: *Vicisti Galilee, vicisti.* Solebat enim Christum semper Galileum vel Nazareum vocare. Legitur autem in vita sancti Basillii, quod Deus sanctum Mercurium, cuius arma tunc in ecclesia Cesariensi pro memoria eius pendebant, in prelium ad occidendum Iulianum misisset. Nam et ipsa arma in illa die in ecclesia a populo requisita ibi non erant; die vero sequenti in ecclesia more solito sunt inventa sanguine humano conspersa et tamquam de prelio nuper reversa. Que omnia inferius versifice posuimus, ut in eis lector magis delectaretur. Verumtamen quia Porfirius et Calixtus aliquie ipsius Iuliani fautores sapientiam, pietatem atque philosophiam eius predictant et commendant et iniquitates eius silentio pretereunt, nos, qui veritatem sine adulazione vel odio prosequimur, de Iuliani flagitiis subscripta eius opera nefanda narramus.

Post mortem [enim] Iuliani simulacula magica arte instituta inventa sunt. Cumque mortuus fuisset Iulianus, et impio pius imperator [Iobianus] successisset, ingredientes principes in templum, viderunt mulierem per capillos suspensam, extensas manus habentem. Cuius uterum aperuerat Iulianus, ut in epate ipsius mulieris inspiceret, si de Persis posset victoriam adipisci. Hoc nefas inventum est in loco qui dicitur Carris. In Antiochia vero plurimas arcas aiunt in palatio fuisse repertas humanis capitibus plenas et in puteis multorum submersa corpora virorum. Unde et in Antiochia tam christianos quam paganos in teatris et plateis de morte Iuliani sceleratissimi mirabiliter tripudio omnis populus asseritur exultasse. Iobianus [imperator] tamen corpus Iuliani in Tarse Cilicie honorifice sepelivit. Quod corpus, sicut in vita sancti Fabiani legitur, rex Persarum Sapor nomine iusserat excoriari, et de ipso corio, colore coccineo colorato, cathedralm sibi ad improperium Romanorum parari.

Cetera de Iuliano versus insinuabunt.

P. 179 v. 43 post sunt addunt B. C:] Socrates in Tripertita istoria narrat, hec dicens.[Page 180]

Item de eodem Iuliano imperatore 36. ab Augusto.

Dum capit imperium Iulianus apostata Rome,

Rennuit a Domino cognoscere iura corone,

Demonibus potius subdere colla volens.

Templa Ierosolimis odio Christi reparari

Iussit, Ebreorum populos hinc inde vocari,

Lege facit Moysi sanguine thura dari.

Dedecus in Christi templum iubet ordine sisti;

Cumque parant templum prisca statione magistri,

Illico Iudeis obviat ira Dei.

Templa tremunt, pavimenta ruunt, et tigna sub illis

Ignibus e celis pereunt exusta favillis,

Exiliunt lapides, area sola manet.

Igneus ex templo globus est emissus in illos,

Incendens homines, vestes, caput atque capillos,

Astantesque viri iure cremantur ibi.

Hec ne fortuita mala provenisse putentur,

Signa crucis confixa sibi gestare videntur,

Gestant Iudei corpore signa Dei.

Rex abit ad Persas, ubi dum pugnare paratur,

Sancti Mercurii mucrone cadens penetratur,

Sicut et his titulis gesta reporto tibi.

Noverat ipse sibi bellum campestre parari,

Ad quod dum properat, fertur plerumque minari,

Exitium patrie Basilioque dari.

Ibo reversurus, dixit, satagamque redire,

Basilium tunc pontificem mandabo perire,

Et populum pariter me remeante die.

Territus antistes populum vocat, atque precatur,

Sancta Dei genitrix patriam sibi quo tueatur.

Audit et in celis verba sonare Dei.

Dixit enim Christus: *Iulianum perdite regem,*

Prorsus enim sanctam satagens disperdere legem,

Imperat, ut populi docmata sancta negent.

Mittite Mercurium, secum pugnare duello,

Quippe minatus erat, si posset vincere bello,

Perdere tunc populum Basiliumque meum.

Ensis in ecclesia clippeusque manere solebat.

Quo bene Mercurius vivens sua bella gerebat,

Nunc ibi nec clippeus nec suus ensis erat.

Hec quia sic desunt, potuit cognoscere presul,

Vindice Mercurio regem fore corpore lesum,

Sicut et audierat voce tonante Ihesu.

Interea quidam vir de certamine venit,

Hic ait: *Advenit miles de culmine celi*

Mercurius, regi vulnera leta dedit.

Arma per ecclesiam populus dum bellica querit,

Sanguine regali poterant conspersa videri,

Que medio cleri nemo videbat heri.

P. 180 v. 2 post dum ita A. B. C:] Clericus imperium suscepit apostata Rome,

Cui Iulianus erat baptismatis ordine nomen;

Ille scelus patrie pravus ubique fovet. Ipse Iherosolimis iam templa iubet reparari,

P. 180 v. 35 post duello in marg. addit B1, quae recepit B2:] Nota, quod sanctus Mercurius olim miles arma sua in ecclesia

Cesariensi

reliquerat, que tunc ibi pendebant, set in die belli non poterant inveniri. Ipse enim Mercurius

ea detulerat et cum eis Iulianum occidit. Die namque sequenti inventa sunt iterum in ecclesia recenti

sanguine maculata.[Page 181]

Sic per Mercurium deus interimit Iulianum,

In sanctos Domini furientem more ferarum,

Sicut et in scriptis gesta priora canunt.

Fluxit et a latere validus de vulnere torrens,

Quem manibus cesar spargebat in aera longe,

Attonitusque magis, dum moreretur, ait:

O Nazarene, vicisti, magne, minorem;

Ecce triumphanti proprium tibi reddo cruorem.

Sic miser interiit, tartara regna colens.

7. *Item de Iuliano, quomodo rex Persarum fecit eum excoriari, sicut legitur in vita sancti*

Fabiani.

Regis Romani cesum corpus Iuliani

Persarum rex Sapor ibi iubet excoriari,

Cumque sibi corpus protraheretur, ait:

*Hoc corio faldistorium nobis ad honorem
Fiat, ut eterno sit Roma subacta pudore,
Legeque mancipii serviat ipsa dolens.
Sit species corii, rubeo vicina colori,
Indeque sit cathedra conformis et apta decori,
Unde dolens poterit Roma rubore mori.
Post annos binos Iuliani vita recedit,
Damasus Yspanus tunc Rome papa resedit,
Annos bis septem qui sibi fine dedit.
Hiisque duos menses superadde diesque decenos;
In quibus hereticos detestatur Manicheos,
Post quoque Siritius papa repressit eos.*

Annis quindenis idem quoque papa resedit, Mensibus undenis Manichea volumina cedit,
Quos et ab ecclesiis depulit ipse Dei.

8. De Iobiano imperatore, 37. ab Augusto, qui regnat menses 8.

Anno ab incarnatione Domini 366., Iuliano mortuo et milite posito in summo discrimine, lobianus, natione Pannonius, vir christianissimus, votis omnium petitur ad imperium. Qui dum se christianum esse et ob hoc gentilibus diceret se imperare non posse, ipsi se pro eius amore christianos esse firmabant. lobianus itaque 37. ab Augusto imperator creator. Iste propter pericula Romani exercitus fedus cum Sapore rege Persarum, Romanis quidem inglorium, sed tempori instanti perutile, composuit. Ubi tradito quodam oppido cum superiori parte Mesopotamie, militem caute redemit. Deinde princeps catholicus episcopos a Constantio in exilium missos revocavit. Templa idolorum claudi precepit eorumque sacerdotes fugavit. Post hec Athanasium episcopum, ut eum catholica fide imbueret, scripto rogavit. Qui sub sigillo et consensu omnium episcoporum Egypti scripsit, et misit ei fidem Niceni concilii, id est *Credo in unum Deum, patrem omnipotentem, creatorem* etc. Has litteras imperator grataanter suscepit et fidem catholicam edictis imperialibus roboravit et, ut omnes, qui sacras virgines raperent aut violarent aut qui eas impudice aspicerent, capite punirentur, mandavit. Postea eum in Antiochia Athanasius vidit et de fide catholica plenius informavit. Imperator autem in domo nuper calce delinita, cum essent prunes apposite, nocte suffocatus est, etatis sue anno 30., imperii sui mense octavo.

Cetera versifice gesta referre placet.

De eodem Iobiano imperatore, 37. ab Augusto.

Gloria Romulei solii fit nunc lobiani.

Mente Deum coluit, nec culmine regnat inani,
Sicut et hiis titulis fistula nostra canit.[Page 182]

Dum rogat hunc populus Romanum sumere sceptrum,
Cultor, ait, Christi sum, vobis prorsus ineptus:
Christum credo Deum, vos reprobatis eum.
Cetus ait: *Cupimus propter te credere Christo,*
Quem dudum reprobasse pudet pro rege sinistro;
Idola despicimus, te duce presto sumus.

Te decet imperium, tibi nos diadema paramus,
Nos etiam iam christicolas te rege notamus,
Suscipe, dum petimus te, tibi nosque damus.

Vita fit ipsius vix mensibus octo notandus,
Congrua christicolis multumque nociva tyrannis.

Tunc quoque Siritii presulis hora fuit.

Annis Siritius ter quinque sedere notatur,
Mensibus undenis plus temporis annumeratur,
Insper et vite ter dedit octo dies.

9. De Foca cesare 38. ab Augusto.

Focas ter denis feliciter imperat annis,
Sub quo tres pape Rome fuerant venerandi,

Primus Anastasius prefuit ille pius.

Annis his binis sub Foca cesare vivit.

Ad cathedram Petri post Innocentius ivit,

Annis ter quinque presul et iste fuit

Atque duos menses, vigintiquinque diebus.

Tertius est Zosimus cum Foca cesare presul,

Viginti menses fert totidemque dies.

10. De Valentiniano imperatore, 38. ab Augusto.

Anno ab incarnatione Domini 367. Valentinianus cum fratre Valente, natione Pannonius, stirpe mediocri oriundus, animi vero et corporis magnitudine commendabilis et moribus urbanus, ab Augusto 38., consensu militum in Nicea sumpsit imperium. Iste, dum Iulianus augustus tenplum ingrediens Fortune sacrificaret, ministrum sacrificii pugno percussit. Propter quod Iulianus eum, cui talia displicebant, a militia dignitate removit. Deus autem iustus iudex, qui dixit: *Centuplum accipies, pro militia ei reddidit imperium.* Valentinianus Valentem fratrem suum elegit ad imperium. Anno imperii sui quarto Gratianum filium suum fecit imperatorem. Eo tempore apud Attrebatas vera lana cum pluviis mixta visa est a nubibus descendisse. Valentinianus, Auxenti Mediolanense episcopo defuncto, convocato episcoporum sinodo, suadet alium ordinari. Ubi Anbrosius presens adhuc catecuminus ab omnibus postulatur. Unde imperator cum baptismi gratiam primitus consecutum precipit presbiterum ordinari. Interea imperator Valens, cum primitus catholicus esset, suasu Eudoxii episcopi Constantinopolitani, et ab uxore propria seductus, incidit in heresim Arrianam, et ad hoc iureiurando se alligavit, atque a prefato episcopo Arriano est iterum baptizatus. Eo tempore Valentinianus fortissimam gentem Saxonum, Francorum terminos invadentem, bello repressit. Ipse autem imperii sui anno 11. apud Brictionem opidum diem obiit. Cetera de Valentiniano versus habent.

Item de Valentiniano versibus enarratur, qui imperat annis 5.

Imperat ecce Valens cum fratre Valentiniano;

Gothorum socii fiunt sub docmata vano:
Arrianista suis cesar uterque fuit.
Hos mala Gothorum lex legibus auxit eorum;
Istria rura colunt, maculant diadema decorum,
Expoliant patriam diripiuntque forum.
Annis undenis vixisse Valentinianum,
Scribimus, et fratris annos quasi quinque notamus.
Hereticos ambos dicimus atque malos.
Nunc Celestinus ter ternis presidet annis,
Adicitur mensis, bis quinque dies numerandi,
De quibus in serie demitur una dies.
Hiis quoque temporibus stat Sistus papa secundus,
Annis ter denis viget eius docmata mundus,
Plusque decem residet presul et octo dies.[Page 183]

11. *De Valente imperatore, 39. ab Augusto.*

Anno ab incarnatione Domini 373. Valens, 39. ab Augusto, Orientis rexim imperium; Gratianus autem et frater eius iunior Valentinianus in Occidente regnabant. Valens itaque, ut diximus Arrianus, legem dedit, ut monachi ad militiam cogerentur. Unde multi monachi per Egyptum terreni regis contemnentes imperium, martirio coronantur. Valens per artem nicromanticam perscrutatur, quis post eum sit regnaturus. Arte demoniaca sunt ei littere iste quatuor demonstrate, O e d a. Ipse autem ab illo die omnes, quos istas litteras in capite nominis abere potuit repperire, precepit occidi. Unde factum est, ut Theodosius comes, pater Theodosii, qui postea imperium tenuit, ab eo preciperetur occidi. Qui prius baptismi gratiam apud Cartaginem consecutus, percussori sponte iugulum prebut. Interea Gratianus imperator catholicus apud Argentarium Gallie opidum cum paucis Romanorum detimento 30 milia Alemannorum bello prostravit.

Eo tempore controversia oritur in regno Gothorum inter Fridigernum et Atalaricum. Fridigernus cum esset debilior, ab imperatore Valente auxilio impetrato, Attalaricum in fugam convertit. Unde Fridigernus amore Valentis imperatoris cum gente sua fidem Arrianam suscepit.

Eo tempore Gulfias Gothorum episcopus litteras Gothicas adinvenit, et per eas in suum ydioma litteras divinas convertit. Non multo post tempore Gothorum elapso, gens terribilis Hunorum advenit. Que gens secundum scripta Iordanis ipsorum interpretis et actoris ex incubis et meretricibus est procreata, infra Meotidas paludes, que sunt in confiniis Asie et Europe. Hec gens conductu unius cervae transmeantis transivit inaccessibiles prius illas paludes. Ubi usque adeo gentem Gothorum perterritum, ut rex Gothorum Hermanaricus, qui multas iam gentes devicerat, timore Hunorum se ipsum interfecisset, anno etatis sue 110. Gothi post mortem regis sui Hermanarii animo fracti, a Valente imperatore petunt habitationes. Quas imperator eis largitur in Tracia. Ubi Gothi a quodam duce ad convivium dolo invitati, cum ipsi priusquam venirent dolum presensissent, omnes qui eos invitaverant morte consternunt, et tota ipsa regione igne ferroque delecta, diffunduntur ubique. Contra quos Valens [imperator] procinctum parans, ab Antiochia movens, penitentia ductus, episcopos catholicos precipit ab exilio revocari. Pugna in Tracia inter Gothos et Romanos conseritur. Ubi dum Romanus fugit exercitus, imperator Valens, sagitta sauciatus, in cuiusdam parvissime villule casam ingreditur, ut latens [ibi] vitam reservet.

Quem insequentes Gothi, simul cum casa igne consumunt, anno imperii sui 15, post mortem vero fratris sui anno 4. Mortuo Valente, Gratianus, qui cum eo regnabat, cum fratre suo Valentiniano iuniori tenet imperium.

12. *De Gratiano imperatore, 40. ab Augusto, qui regnat annis 6, et de papa sui temporis.*

Cesar Romanus diadema tenet Gratianus.

Tunc erat Ambrosius sub Christi docmata clarus;

Martini Turonis extitit ampla salus.

Qui cupit Ambrosii per docmata sanctificari,

Qui sibi Martini miracula vult numerari,

Non ego sufficio, viderit ille magis.

Annis bis tertiis vixit cesar Gratianus.

Tunc Pontianum papam vixisse notamus;

Hunc annis quinque menseque stare damus.

13. *De Teodosio imperatore, 41. ab Augusto, qui regnat annis 3.*

Anno ab incarnatione Domini 383. volens rei publice suo tempore subvenire Gratianus, Theodosium, natione Ispanum, virum fortem et religiosum, purpura induit et imperatorem Orientis creavit. Theodosius tam virtute quam prudentia gentem Gothorum devicit et Atalaricum regem Gothorum Constantinopolim ad se vocavit. Ibi tunc Atalaricus obiit. Gens autem Gothorum, visa mansuetudine principis, voluntarie se ipsam imperio Romano subposuit. Teodosius Archadium filium suum socium imperii elegit. Gratianus a Maximo in Britania imperium usurpante occiditur, et frater eius Valentinianus ab Italia fugatur; qui ad Teodosium veniens, benigne receptus est.

[Item de Theodosio imperatore.]

Anno ab incarnatione Domini 388, Gratiano interfecto, Theodosius, 41. ab Augusto, imperium Romanum solus obtinuit. Erant tunc in ecclesia Dei viri sanctissimi Martinus Turonensis episcopus, Ambrosius Mediolanensis, Severinus Coloniensis episcopus, Ieronimus presbiter, Augustinus caticuminus a beato Ambrosio tunc baptizatus. Teodosius contra predictum Maximum tyrannum movens exercitum, in partibus Aquilegensem occidit eum. Deinde cum filio suo Honorio parvulo Romanam venit. Ibique rem publicam ordinavit. Valentiniano regnum Occidentis reliquit. Ipse autem Constantinopolim remeavit. Porro Valentinianus dum in Galliam revertitur, fraude cuiusdam Arbogasti et[Page 184]

Eugenii, ut quidam asserunt, laqueo est suspensus. Eugenius ab Arbogasto imperator ibi creatur. Quidam dicunt, Valentinianum pre nimio dolore hoc genus mortis sibimet intulisse. Morte Valentiniani comperta, Teodosius contra Eugenium tyrannum parat exercitum. Tunc etiam scripsit in Egyptum ad Iohannem monachum Eutropium eunuchum, et eventum rei a viro ipso sanctissimo requisivit. Cui vir beatissimus plenam victoriam promisit. Teodosius confisus in Deo pergit et Gothos contra tyrannos ante se premit. Quorum decem milia ab Arbogasto interimuntur. Procedit imperator, et cum in Alpibus hostibus occurrisset, ibique Arbogastus in eminentiori loco positus meliore pugnandi opportunitatem videretur habere, Teodosius tota nocte prostratus in precibus, mane in Domino confisus, congregreditur et gloriose triumfat. Ibi Eugenius captus occiditur. Arbogastus interfecit se ipsum. Teodosius autem, rebus

omnibus bene dispositis, anno undecimo post mortem Valentiniani apud Mediolanum vitam finiens, in Domino requievit.
Cetera de Teodosio versibus explicamus.

De Teodosio imperatore versifice narratur.

Fulget Teodosius diadema post Gratianum,
Concilium reficit Constantinopolitanum,
Arrius insanus spernit ore, manu.
Fanaque templa ruunt nunc prorsus et idola cessant,
Arria scriptura perit, igne manuque repressa,
Docmata catholica cesaris aula parat.
Vixit Teodosius annis quasi bis duodenis,
Atque duos ultra. Lucius tunc papa resedit,
Tres annos vivit, mensibus octo sibi;
Insuper adde decem pro ratione dies.
Constantinopolim fertur capud ecce Iohannis.

Scriptaque Iheronimi, que multis contulit annis, Betlehemita domus misit in omne solum.

14. Item de Teodosio et Archadio imperatoribus, qui regnant annis 13.

Archadius cum Teodosio diadema fulget.
Ecclesie nunc catholice censura resurget,
Ordo bonus cleri nunc capud orbis erit.
Scribitur Archadius annis quater octo sedere.
Cornelius papa tres annos fertur habere,
Insuper adde decem de ratione dies.
Fama Iohannis ita tunc claruit anachorita,
Ut foret audita defunctis reddere vitam;
Constantinopoli sunt sua membra sita.

15. De Archadio et Honorio fratribus imperatoribus.

Anno ab incarnatione Domini 390. Honorus Occidentis et frater eius Archadius Orientis post mortem patris
sui Teodosii sortiuntur imperium, ab Augusto 42., adhuc Damaso papa Rome, Teofilo in Alexandria, Iohanne Ierosolimis,
Flaviano Antiochie et Nectario Constantinopoli [episcopis] presidentibus. His diebus quidam monachus nomine
Dirimachus ab Oriente Romam veniens, dum ludum gladiatorum tamquam insaniam sedare voluisse, a circumstantibus
est lapidibus obrutus et necatus. Quo comperto, Honorus eum inter beatos martires censuit computari et pro eadem
causa ludum gladiorum, ne amplius sic fieret, interdixit.

16. De Iohanne Grisostomo.

Eo tempore Iohannes Grisostomus, qui cognominatur os aureum, apud Constantinopolim episcopus est ordinatus.
Temporibus Honorii et Archadii viri sanctissimi Martinus et Anbrosius de hoc seculo migraverunt.

Gothi, cum ab imperatoribus munera, que tempore Teodosii accipere cosueverant, habere non possent,
consilio Rufini patricii discedunt a curia et regem sibi creant. Rufinus postmodum detectus, propter commissum
dolum ante portas urbis Constantinopolis decollatur. Caput eius cum manu et brachio eius dextro ad improrium
et ludibrium per omnes vicos urbis circumfertur. Archadius, vir mitis et quietus, anno 14. post obitum
patris sui Teodosii vitam finivit, et imperium Orientis filio suo octenni Teodosio reliquit, Antemio prefecto tunc
ipsum puerum regente. Ipse etiam Antemius muro fortissimo regalem cinxerat urbem. Cetera de Honorio et
Arcadio versus habent.[Page 185]

Item de Archadio et Honorio imperatoribus, qui regnant annis 15.

Cesar Honorus imperat omnibus Archadiusque.

Magnus in Epiro legitur tunc signa dedisse

Presul Donatus, forma beata patrum.

Namque sputo datur ille suo superasse draconem;

Expuit in faciem serpentis ea statione,

Ut sibi nec virtus nec modo vita foret.

Ponderis in carne serpens datur hic habuisse,

Quod satis octo boum iuga ducere non potuissent.

Tunc Augustini docmatis hora fuit.

Nunc veniunt Huni, Gothi, veniunt et Alani;

Gallia conteritur, Parisius, Aurelianii;

Ve fuit Ispanis, Gallia pressa cadit.

Tempore quindenis tunc vixit Honorus annis.

Simplicius papa totidem tunc vixerat annis,

Addeque plus septem de ratione dies.

16a. Honorus, defuncto Archadio, imperat solus.

Anno ab incarnatione Domini 412. defuncto Archadio, Honorus, ab Augusto 43, tenet imperium Occidentis.

Gothi cum rege suo Alarico, dum Honorus esset Rienne, per Dalmatiam et Venetiam digressi, in confinio Emilie
[et Aquilegia] castrametantur, terram ad inhabitandum superbe ab imperatore poscentes. Addunt etiam, quia, si
aliter habere non possent, ipsi ulti tollerent. Imperator, accepto consilio, terram circa fines Ispanie, que tunc
imperio erat rebellis, tradidit eis. Ad quam possidendum dum Gothi proficiscuntur, Stilicus patricius, sacerdos Honori, eos
fraudulenter insequitur, prelioque cum eis commisso, militem perdit; ipseque aufugit. Hac de causa Gothi ad iram
permoti, ad Emiliam, unde venerant, subito revertuntur; totaque ipsa provincia igne ferroque vastata, ad urbem Romam
procedunt. Quam etiam trepidantem irrumpunt. Datisque preceptis, ne ecclesie violentur, aliquantis Urbis partibus
concrematis, predam mirabilem tollunt. Interea papa Innocentius, ne penas ipsius Urbis aspiceret, tamquam Lot iustus
remotus a Sodomis, Rienne morabatur. His diebus pagani improperabant christianis, dicentes, Romanum temporibus
paganorum creuisse, christianorum autem tempore decreuisse, eique propter christianitatem insolita
pericula imminere. Ob quam causam beatus Augustinus tunc composuit librum de civitate Dei. Orosius tunc
istorias suas texuit. Ieronimus ecclesiasticam istoriam ab Eusebio episcopo Cesariense compositam transtulit.
Hec autem tam terribilis irruptio Urbis facta est per Alaricum regem Gothorum anno ab Urbe condita 1164,
anno autem ab incarnatione Domini 415. In eadem preda Guandalorum soror Honori Placidia capta est, quam

Ataulfus postea est in matrimonium sortitus. Interea quidam princeps Constantinus imperium Galliarum invadens, Constantem filium suum monachum cesarem fecit. Set paulo post pater apud Arelatum, filius vero apud Viennam regno vitaque privantur.

Gothi Romanorum Victoria glorificati, per Canpaniam, Apuliam et Siciliam in Africam ire proponunt. Cumque in confinio Brictiorum incaute sese mari committunt, multos ex sociis perdiderunt. Rex Atalaricus eorum [in fluvio civitatis Consenae quorumdam dolo submersus], tunc ultimum diem clausit. Quem Gothi in tantum dilexerunt, ut amnem nomine Barentum iuxta civitatem Cosenziam de alveo derivarent, ipsoque rege Alarico cum multis militum copiis ibi sepulto omnes captivos, qui huius facti consciit erant, occiderent, et postea ampnum ad suum alveum revocarent. Gothi propter mortem Atalarici redire proponunt, atque Ataulfum regem sibi creantes, Romanum redeunt, ibique ea que reliquerant depopulantur. Ataulfus vero rex Gothorum, amore uxoris sue Placidie, que erat soror Honorii imperatoris, a finibus Romanorum discedit, et in Gallia prope civitatem Narbonensem, ubi hodie villa sancti Egidi dicitur, in loco qui usque hodie palatum Gothorum vocatur, consedit supra Rodanum flum; a quo loco per Constantium comitem postea pulsus, in finibus Ispanie cum Gothis resedit.

His diebus sub Innocentio papa corpora sanctorum Stefani protomartiris et aliorum sanctorum revelata sunt Luciano presbitero, sub Iohanne episcopo Ierosolimitano. Non multo post tempore, sub Bonifatio, qui Zozimo successori Innocencii fuerat substitutus, Ieronimus presbiter obiit anno etatis sue 91. in Bethlehem. Defuncto papa Bonifatio, Celestinus sedet in Urbe. Hucusque Orosius cronica sua perduxit.

Honorius 31. imperii sui anno, quorum duos cum patre, tredecim cum fratre, reliquos cum filio fratris sui regnaverat, Rome obiit.

De Honorio secundo et Teodosio secundo imperatoribus versifice.

Rursus Honorius et Theodosius imperat aula.

Gothica pessima gens rapit omnia flumine Sauna,
Guandalus Ispanos opprimit ense malo. [Page 186]

Occupat et captam violat gens Gothica Romam;
Destruit ecclesias; torpescit in Urbe corona;

Omnia diripiunt que valuerent bona.

Rex triginta tribus Teodosius imperat annis.

Tunc non pervixit presul Sisinnius annum,

Prestat parva decem vita duosque dies.

16b. *Item de Theodosio iuniori imperatore.*

Anno ab incarnatione Domini 426. Teodosius iunior, 44. ab Augusto, patruo mortuo, solus habet imperium.

Huius virtutes in tripertita istoria omnibus suis predecessoribus preferuntur. Inter quas et hec commemoratur, quod ad instar Alexandri Magni, dum in exercitu fervore solis et pulveris atque itineris nimietate fatigatus nimia siti laboraret, poculum aque iocundissimum sibi oblatum, ne ipse pre aliis solus haberet potandi refectionem, bibere recusavit. Tempore istius floruerunt Iohannes Cassianus heremita, qui Collationes patrum conscripsit. Et sanctus Iermanus Altisiodorensis episcopus. Hucusque Theodoritus episcopus et Socrates et Solomenus, viri disertissimi, ystorias produxerunt. Que postmodum in unum volumen redacte et a Cassiodoro senatore per Epifanium scolasticum a Greco in Latinum translate, a tribus memoratis actoribus tripertite istorie sunt nominate.

Tempore istius imperatoris Theodosii iunioris Guisogothi, id est Australes Gothi, habitabant in Galliis. Ostrogothi vero, id est Australes Gothi, ex quibus Avares, id est Ungari Pannonii, et Longobardi descenderunt, transeunt Danubium. Ostrogothi prius in Pannonia fuerant commorati, postea in Tracia per 48 annos habitaverunt, deinde ad Occidentem venerunt. Guandali autem, sociatis sibi Germanis, cum duce Modigisilo, Ispanias occupaverunt. Eo tempore Bonifatius comitatum Africe ab imperatore accepit. Qui in Ispaniam transiens, Guandalis totam Africam subiecit. Qui universam terram vastantes, urbem Iponensem, cui tunc preerat beatus Augustinus, obsidione precingunt. Beatus autem Augustinus, ne urbis sue videret excidium, migravit ad Dominum, etatis sue anno 76. Romani autem tradentes Guandalis tertiam partem Africe, pacem cum eis fecerunt. Rex autem Guandalorum Guisericus Arrianus Christianos affligens, episcopos in exilium misit; et invadens Cartaginem, multis divitiis et ornamentis ecclesiasticis spoliavit.

Anno imperii Theodosii iunioris 30. terremotus orribilis Constantinopoli fuit; propter quem ibi divine commutationis cantatum est primitus: *Ayos o theos yschyros eleyson ymas*, hoc est: *sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis*. Hoc canticum dum a toto populo cum suo episcopo caneretur, illico terremotus cessavit. Unde ab imperatore et sorore eius Pulcheria tunc preceptum est promulgatum, ut hoc canticum per totum orbem de cetero caneretur.

His diebus Athila Hunorum rex, occiso fratre suo Bleda, Traciam et Illiricum cepit vastare. Cui Teodosius, datis septem milibus libris, promissis etiam singulis annis mille libris, a suis finibus exire persuasit. Ipse vero Teodosius paulo post apud Constantinopolim diem suum finivit, 41. imperii sui anno, anno autem post mortem patrui sui 26. Cetera de Teodosio isto versus narrabit, et alia sibi contemporanea.

De eodem Teodosio imperatore versifice narratur.

Teodosio solo regnum retinente minore,

Transit ab Ispanis gens Guandala plena furore,

Africa conteritur, totaque capta dolet.

Catholicus fuerat populus qui dicitur Afer, Afrorumque fidem subvertit Guandalus acer,

Unde fides Christi pauca remansit ibi.

Sub specie Moysi loquitur nunc demon Ebreis,

Devote qui suscipitur satis a Fariseis,

Qui dare dona Dei pristina spondet eis.

Insula Creta fuit, qua predicit ille futura,

Omnia que narrat, promittit eis valitura,

Spondet eis patriam conciliare suam.

Per mare transite, sicco pede, dixit, abite,

Atque Iherosolimam, me preveniente, redite;

Omnia que scribi vultis, habetis ibi.

Cumque per equoreos fluctus conduit Ebreos,

Turba simul sequitur; spes magna fovet Fariseos;

Parsque reservata, quam non maris obruit unda,
Fit cito catholica Christi babbismate munda;
Cetera que perit piscibus esca fuit.

17. *De Martiano et Valentiniano imperatoribus.*

Anno ab incarnatione Domini 453. Martianus consilio Pulcherie, sororis Teodosii iam defuncti, 46. ab Augusto, imperium Orientis suscepit, adhuc regnante Valentiniano in Occidente, qui erat 45. ab Augusto. Martiano igitur et Valentiniano imperatoribus, Atila rex Hunorum, subiugatis sibi fortissimis gentibus Ostrogothorum et Gepidarum aliisque diversis populis, totam Macedoniam, Mesiam et Achayam et Traciam pervagatur. Odiebat autem Atila Romanos propter antiquam eorum dignitatem. Odiebat etiam Guisogothos propter eorum fortitudinem. Utrosque etiam obprimere intendebat. Set ambas gentes simul invadere, Romanos scilicet et Guisogothos, non volebat. Timebat enim, ne adversus eum utrique sociarentur. Unde et eos per suam versutiam ab invicem seiungere, et in alterutrum concitare conabatur. Proinde Valentiniano Romanorum imperatori in dolo scribebat, se contra Romanos agere nolle, set contra Guisogothos. Scribebat etiam Guisogothis, nichil contra eos agere, set contra Romanos. Eutius autem tunc patricius Romanorum fraudem Atile precognoscens, Teoderico regi Gothorum ex persona Valentiniani imperatoris scribit, monens diligenter, ut contra Atilam immanissimum tyrannum, totius orbis invasorem, ipse cum Romanis conveniret. Igitur Atila indicit Guisogothis bellum. Guisogothi autem per legatos rogantes Romanos, Eutium patricium accipiunt in auxilium. Hic Eutius autem, ascitis sibi Francis et Sarmatis et Burgundionibus, Saxonibus, Ripariolis, Brionibus, multisque Celtice ac lermanice nationibus, Guisogothis succurrit. Atila vero cum Aldarico rege Gepidarum et Vialamire rege Austrogothorum innumerisque regum nationibus movet procinctum. Itaque in campis Catalaunie uteque exercitus sedet. Atila in interioribus visceribus pecorum per fitones eventum rei perquirit; seque vincendum intelligit [per augurium]. Set ex altera parte principem omnium potentiores esse casurum, in fedissimis presagiis auguriisque presensit. Atila pugnam agreditur, Romani tunc eminentiorem locum habebant. Itaque ab hora nona usque in noctem acerrimum bellum protenditur. Teodericus autem rex Guisogothorum, sicut Atila in auguriis previderat, in bello occubuit. Atila vero in fugam versus, victum se prodidit, set noctis beneficio potuit occultari. Mane facto, Guisogothi regem suum requirunt. Set mortuo invento, iterum in hostes irruere cum Turismundo, filio regis occisi, disponunt. Eutius autem patricius, timens, ne forte, si Huni penitus delerentur, Gothi extunc in nimiam gloriam elevati Romam obprimerent, dicit ad Turismundum, filium Teoderici: *Si fratres tui mortem regis cognoverint, regnum invadent. Tu ergo velociter domum revertere, ne in solio regni debeas a fratribus preveniri.* Taliter a patricio seductus iuvenis, relictis hostibus, domum festinanter abivit. Deprehensum est postea, quod Atila viribus suorum destitutus, de subselliis suorum ignem sibi magnum preparaverit. In quem, si in eum hostes irruerent, volebat immergi. Refert eorum scriptor Iordanis, quod in eodem famosissimo prelio ceciderint 165 milia ex utraque parte, exceptis 15 milibus, qui in congressu Francorum et Gepidarum priori nocte corruerunt. Turismundus, occisi Teoderici regis filius, a suis rex creatus, consilio Eutii patricii Tolosam civitatem suam ingreditur. Atila, recendentibus Guisogothis securus iam factus, versus Romam iter convertit, et in via obsidione cingit urbem Aquilegiam, metropolim Venetiarum. Quam longo tempore obsessam, cum vincere eam se posse non crederet atque de recessione iam cogitaret, quadam die circa muros urbis deambulans, videt ciconias pullos suos parvulos ex nidis extra civitatem portantes. Ubi advocans milites, ait: *Iste aves futuram civitatis cladem perpendunt, propter quod etiam filiolos exportaverunt.* Hec aiens, milites ad eversionem loci fortius animavit. Unde instructis machinis variisque tormentis, urbem repente devicit et usque adeo desolavit, ut prioris forme edificii vestigia non valeant inveniri. Afferunt multi, quod urbem vacuam invenerit, quia cives per mare, quod est eis contiguum, reliquias sanctorum in Venetas cum omni subpellectili navigio detulerunt. Ibique deinceps perpetuo habitantes, Veneti, quasi advene, sunt nominati. Unde inter Gradenses, qui priores ipsius loci fuerant habitatores, et Aquilegenses de patriarchatu usque hodie controversia versatur. Exercitus Atila ibi tantus fuit, quod suis clipeis aggerem ad similitudinem rotundi montis ob futuram memoriam Atilae comportavit. Alii vero dicunt, eum per cesarem Iulium fuisse coniestum. Ego montem illum vidi meis temporibus bene munatum et inhabitatum. Atila postmodum talibus elatus eventibus, omnes Venetas circuendo vastavit. Atque in Liguriam procedens, Mediolanum et Papiam crudeli animadversione depopulatus est. Atila de Liguria tendit Romam. Cui Leo papa longe occurrit, et, ne Urbi noceat, precibus impetravit. Illud etiam Atilam ab Urbis accessu maxime refrenavit, quod Alaricus, prior rex Gothorum, postquam Romam expoliavit, subitanea morte decessit. His itaque de causis Atila frenum retro convertit et ad propria remeavit.

Interea Valentinianus virtutem Eutii prefecti emulatus, eum cum Boetio senatore precepit occidi. Eapropter et ipse paulo post ab inimicis est interfectus, anno imperii sui 30. Quo mortuo, Maximus uxorem eius Eudoxiam sibi copulavit et imperium usurpavit. Deinde Gisericum regem Guandalorum ad Urbem vocat. Romani Guandalorum adventu perterriti, ulciscuntur in Maximum, eumque necantes in minutissima frusta decidunt. Ipsi autem metu Guandalorum fugientes, Urbem relinquunt. Gisericus rex Urbem quasi vacuam ingreditur. Papa Leo ingredienti occurrit in porta, eumque ab incendio Urbis et occisione civium abstinere precatur. Rex barbarus Urbem ingressus, omnem predam rapuit, Eudoxiam cum duabus filiabus abduxit, atque per dies 15 in Urbe moratus, ab incendio[Page 188]

et occisione civium abstinuit, sicut papa rogavit. Facta est hec secunda ab Alarico Romane urbis captivitas per violentiam Vandalorum anno ab Urbe condita 1204. Postea Gisericus filio suo Transmundo filiam Valentiniani principis in matrimonium copulavit. Atila vero ab Ytalia in patriam reversus, nuptias celebrat, et eadem nocte per fluxum sanguinis de naribus inebratus expirat. Iste est Atila metus orbis, flagellum Dei, superbus incessu, oculos furiosos circumferens, amator belli, manu propria temperatus, consilio validus, supplicantibus exorabilis, propitius cunctis in fide receptis, forma brevis, pectore lato, minutis oculis, capite grandiore, rara barba, canitie conspersus, simus naso, colore tetro. Actor Iordanis scribit, in exercitu eius fuisse quinques centum milia. Item Atila ipse undecim milia virginum apud Coloniam simul martirio coronavit, Nicasium episcopum Remis occidit. Martianus imperator paulo post a suis fraude necatur, anno imperii sui 7.

Item de eodem Martiano imperatore versifice.

Nunc cesar Martianus stetit ordine primus.

Nunc rex Gothorum dat prelia Teodoricus,

Quem timet Italicus pro feritate situs.

Optinet Ispanos belloque premit Catalanos,

Sibilieque faro posuit tentoria pravo,

Omnia diripuit vulnere, marte, manu.
Sex annis Martianus vixit numerandis.
Primus papa Leo viginti prefuit annis;
His menses denos iungito bisque duos.
Simplicius Rome post primum papa Leonem
Suscepit ecclesie digne recolendus honorem;
Annos quindenos vita beata fovet.
Adde dies septem, quibus hic non vixit inepte.
Felicitas pape post annos exprime septem,
Undenos menses, octo decemque dies.
Tempore Felicitatis fuerat rex Teodoricus,
Impius, inpatients, Gothorum ductor iniquus,
Nomine christicola, vir scelerosus erat.
Gelasius papa stat tempore Teodoricis,
Et sub Zenone Gothorum docmata vicit,
Annis bis binis, mensibus octo fuit;
Ter tenuisque dies detulit ad requiem.

18. *De Leone Bissa Grecorum imperatore.*

Anno ab incarnatione Domini 440. Leo Bissa apud Constantinopolim Orientis suscepit imperium, 47. ab Augusto. Qui filium suum Leonem socium imperii elegit. Occidentis vero imperium Maronianus apud Ravennam accepit. Qui iuxta Tastonam civitatem quarto regni sui anno occisus est. Post hunc Severus sine iussu augusti apud Ravennam tunc regnum invasit. Qui etiam quarto anno Rome diem obiit. Leo imperator Zenonem, generum suum, Orienti prefecit. Leo imperator cum Ostrogothis pacem componens, Teodoricum, filium Teodemari, scilicet Veronensis, de quo Teotonici sepissime miram narrant audatiam, obsidem recepit, cum octo esset annorum. Leo Leonem, filium Zenonis generi sui, qui Orientem tenebat, imperatorem fecit. Ipse autem obiit 11. imperii sui anno. Zeno imperator Orientis Romam veniens, a populo et a senatu grataanter receptus est.

19. *De Zenone imperatore, 47. ab Octaviano Augusto.*

Anno igitur ab incarnatione Domini 476. Zenon, natione Ysaurus, 47. ab Augusto, imperium sortitur. Porro Occidentale imperium, id est Romanum, nepos eius tenuit. Quo a regno pulso, Orestes patricius filium suum, Augustulum dicendum, imperatorem Occidentis creavit. Interea Odoacer, natione Rutenus, ex ultimis finibus Pannonie cum Turcilingis et Cyrus et Erulis gentibus ad invasionem Romanorum movit exercitum. Cui dum Orestes patricius in terminis Ligurie occurrit, visa manu eius, perterritus fugit, et in Tycinum se contulit. Quem Odoacer insecurus, capta urbe [Papia] occidit, atque inde per totam Ytaliam milite fuso, regium nomen usurpat. Iste Odoacer a terra sua egressus, dum inferiores Noricas partes vel Pannonie superiores transiret, virum Dei Severinum,[Page 189]

Ravennatum episcopum, qui verbum Dei predicans ad radicem montis cellam construxerat, adiit, eumque de eventu rerum consuluit. Qui spiritu profetie omnia, que post evenerunt, ei predixit.

Augustulus predictus, filius Orestis patricii, patre suo eodem patricio iam occiso, et patria capta ac devastata, imperiale purpuram sponte depositus, undecimo mense regni sui. Odoacer, iam nullo sibi resistente, urbem Romam ingreditur ut hostis, sibique subiectam tamquam rex ubique disponit. Postremo, cum tota Ytalia servitio suo per quatuordecim annos mancipata fuisset, tamquam dominus eam gravi servitute depresso. Cetera de Zenone et de papa versifice narrantur.

De Zenone imperatore versifice narratur.

Zeno pater patrie dum regna paterna teneret,
Inclitus eius erat Leo filius unicus heres,
Militia validus, prelia sepe gerens.
Ille necem quesisse patris falso reputatur;
Zeno pater, cui dicta patent, iubet ut moriatur,
Mater ab oppositis obviat arte satis.
Carcere detento mater tristissima nato
Curat ei similem iuvenem subponere fato.
Filius evadit clam, set et ille cadit.
Estimat ergo pater morti subcumbere natum,
Servat eum mater ficta specie monachatum:
Annis ter quinis clausus habetur ibi.
Filius ipse Leo vulgi ratione vocatur,
Precipitur, quicumque Leo dicat moriatur;
Permanet edictum cum feritate ratum.
Annis quindenis dum sic Leo clausus habetur,
Astrologis cum gramaticis satis arte docetur,
Philosophus iuvenis totus in arte fuit.
Nutrit avem mater humano more loquentem,
Plangere que didicit iuvenem cum matre dolente:

Heu Leo, mi nate, gloria nostra iacet.

[Sitacus ut didicit iuvenis iam dicere nomen,
Ponitur ante patrem, depromat ut ipse Leonem,
Prima sit ut capitis pena loquentis avis.]

Pascalis mensa Zenone sedente paratur,

Sitacus in medio plangit, luctus renovatur:

Heu Leo, dixit avis, cur, Leo nate, peris?

Claro sermone dum nominat ipse Leonem,

Corda ducum pietate movet renovatque dolorem,

Et regina sedens plorat, ut ante solet.

Zeno miratur, cur turba ducum lacrimatur;

Querit, et iratus, que causa, quis ille reatus,

Qui modo primatum turbat utrumque latus.
Mater ait: *Cognosce magis te, Zeno, timeri;*
Cur plorat, cur turba dolet, timet ipsa fateri,
Noscere si mavis, iam tibi narrat avis.
Zeno refert: *Tu, queso, michi monstra rationem,*
Quem iuvenem deplorat avis tua, quemve Leonem;
Viscera namque mea sitacus iste movet.
Edictum, quod protuleras, ait illa, recedit;
Te solum, si forte velis, sententia ledit;
Esse michi licitum dicere Zeno dedit.
Nosce tuum natum falso dampnasse relatu;
Vivere monstratur, qui creditur esse necatus;
Tu pater, hic natus, me genitrice datus.
Pulcrior est Venere, sapiens, validissimus armis,
Summis principibus carus, spes unica parvis,
Quem decet imperium iam retinere tuum.
Si cupis ergo duces pascalia festa tenere,
Me michi vel tibi te letum si queris habere,
Ablue peccatum, rem pietate gere.
Esto pater feritate carens, serva rationem,
Mitte, pater, natum dignare vocare Leonem;
Ipse Deus iubet hoc, curia tota monet.[Page 190]

Cessat ut illa loqui, primatum curia surgens
Dat pedibus prostrata preces regemque perurgent,
Tum prece tum lacrimis, gaudia ferre suis.
Motus ad ista pater, dum curia tota rogaret.
Esse michi natum, dixit, non ipse putarem;
Si Leo nunc vivit, obto petita dare.
Annis bis denis Zenonis gloria sedit. Alter Anastasius tunc Rome papa resedit;
Annus ei spatium solus in Urbe dedit.
Undenos menses vicesiesque diem.
Symacus est papa sub principe Teodorico;
Sedit et Ormisda sub eodem presul iniquo.
Nunc et Anastasii cesaris hora venit.
20. *De Anastasio imperatore, 48. ab Augusto.*

Anno ab incarnatione Domini 491. post primum regem Francorum Pharamundum [filium Priami Troyani], regnabat super Francos Glodoveus. Cuius tempore Zeno imperator moritur, anno imperii sui 20. Cui succedit Anastasius, 48. ab Augusto. Coniugem autem accepit Ariagnem. Regnante igitur Anastasio in Oriente, Teoderico [Gothorum rege] Arriano Romanam premente, Simacus et Laurentius pro papatu in urbe contendunt. Cui controversie cum effusione sanguinis multorum tam clericorum quam laicorum tribus annis protelate, Teodericus sinodo convocata, finem imposuit. Nam Simachum, saniori consilio electum, in papatu firmavit; Laurentium [vero] depositum in civitate Liceria fecit episcopum. His temporibus rex Guandalorum Transmundus, Giserici filius, propter fidem catholicam 320 episcopos in insulam Sardiniam exilio tradidit. Ipsi diebus in Africa quidam Olimpius Arrianus, sedens in balneo, dum superbe blasphemaret in Christum, igneo gladio est de celo percussus. Alius quidam cum ab Arriano quodam episcopo baptizaretur, dicente ipso episcopo: *Baptizo te in nomine Patris per Filium in Spiritu sancto*, ilico aqua tota de fonte disparuit. Hoc viso, his qui baptizandus erat ad catholicam ecclesiam confugit et baptismum suscepit. Interea imperator Anastasius Glodoveo regi Francorum per epistolas obtulit consulatus ordinis dignitatem. Ipse vero imperator ab heresi Euticana propter ammonitionem pape Ormisde non recedens, imperii sui anno 28. fulmine ictus interiit. Glodoveus autem rex Francorum anno 30. regni sui vita decessit, et Lotarium filium suum cum tribus aliis filiis reliquit. Qui regnum inter se diviserunt.

Item de Anastasio imperatore versifice narratur.
Cesar Anastasius Gothos ad bella perurget.
Hereticus Teodericus nunc opprimit Urbem;
Nec potuit Gotos tollere marte suo.
Nunc duo pontifices sub eisdem sede tirannis
Laurentus Simachusque sedent plenis tribus annis,
In quibus errorem Gothicā turba fovet.
Catholicas nunc ecclesias gens Guandala claudit,
Cuius et errori regio devicta subaudit,
Fana per ecclesias Arrianista parat.
Transmundus rex ipsorum, feritatis amicus,
Pontifices dedit exilio, transgressor iniquus:
Centum pontifices carcere Sardus habet.
Blasphemare Deum dum cernitur Arrianista,
Fulgure de celis mox lingua perurit ipsa;
Hec ubi lingua luit, cetera turba fugit.
Dum baptizare quandam cupid Arrianista,
Unda parata sibi subito disparuit ipsa,
Obstupuit iuvenis, consuluitque sibi.
P. 190 v. 6 post dare *in margine addit* B1:] Nota, quia tempore istius Zenonis imperatoris inventum est corpus sancti Barnabe in Cipro et cum eo euangelium quod Matheus propria sua manu conscripsit.[Page 191]

21. *De lustino imperatore, 50. ab Octaviano Augusto.*

Anno ab incarnatione Domini 519. in Francia regnante Lothario, filio Glodovei, cum tribus fratribus suis,

Iustinus senex, natione Ysauricus vel Illiricus, 50. ab Augusto, suscepit imperium, consentiente senatu. His diebus rex Hildericus, filius Transmundi, quem mater eius Eudoxia docuit esse catholicum, universos episcopos in exilium a patre suo relegatos benigne revocavit. Iustinus imperator etiam zelo catholice fidei hereticos persequebatur. Ad quem Teodericus Arrianus Iohannem papam transmisit, denuntians, quia, nisi Iustinus a persecutione Arrianorum cessaret, ipse christianos vellet affligere. Iustinus precibus pape Iohannis inclinatus, assensit, ipsumque papam cum honore dimisit. Quem Teodericus statim in vinculis positum fame et inedia extinxit. Item Teodericus Simachum et Boetium prius necari preceperat. Propter que scelerata Teodericus ab hac luce subito raptus, imperii sui anno 30. disparuit; et iuxta dialogum beati Gregorii a quadam sanctissimo heremita visus est a Iohanne papa et Simacho, quos ipse occiderat, in Etna monte corporaliter in ignem precipitari. Quod autem quidam dicunt, ipsum Teodericum fuisse Hermenrico Veronensi et Atile contemporaneum, non est verum. Constat enim, Attilam longe post Hermenricum fuisse, Teodericum [filium Hermenrici] etiam longe post mortem Attilae, cum esset puer octennis, Leoni imperatori in obsidem [constat] datum fuisse. Teodericus [rex], dum ei mors immineret, filium filie sue Amalsuinde, nomine Athalaricum, puerum decem annorum, Gothis principibus commendavit; cui et imperium tunc Rome reliquit; exortans Gothos, ut senatum et populum Romanum benigne tractarent et principem Orientis propicium sibi facerent. Iustinus autem filio sororis sue Iustiniano relinquens imperium, 8. imperii sui anno migravit a seculo.

Item de eodem Iustino imperatore versifice narratur.

Iustinus senior meruit nunc sede levare;
Iussit pontifices et ab exilio revocari, Ecclesias aperit, flumine, rure, mari.

Iustinus septem feliciter imperat annis.
Tempora nunc veniunt pape numeranda Iohannis;

Hic annos binos vixit in orbe suo.

Addere ter ternos menses curemus ad annos

Octo decemque dies etiam ratione notandos, Nunc quoque Gotthorum fervet in orbe dolus.

Tertius est Felix Iustini tempore papa,
Quatuor annorum cui tempora sunt reputata,

Insper et menses tres ratione vacant.

Et Bonifatius est Iustini tempore presul,

Annum cui binorum vix tempus habetur, Vigintique dies dat sibi digna quies.

22. *De Iustiniano imperatore*, 51. ab Augusto.

Anno ab incarnatione Domini 527. Iustinianus, ab Augusto 51, sumpsit imperium, regnantibus in Francia adhuc filiis Glodovei. Iste christianissimus imperium quasi iam mortuum prudentissime suscitavit, rem publicam reparavit, de Persis per Bilisiarium patricium magnifice triumfavit. Leges ante editas nimietate diffusas in compendium conformavit atque inter alia infinita ecclesiarum beneficia ecclesiam sancte Sophie, id est sapientie divine, que est Christus filius Dei, in Constantinopoli miro opere et ornamento construxit. Regem Erulorum nomine Craten convertit et baptizavit. Tunc etiam rex Hunorum Garda et cum eo mulier quedam vidua ex principibus Hunorum et alii gentis illius centum milia baptismi gratiam receperunt. Rex itaque Atalaricus cum matre sua Eudoxia in tuitionem Iustiniani imperatoris suscipitur. Atalarico [rege] post pauca a suis occiso, mater eius Theodatum suscepit in regnum. Qui postea ingratus et perfidus eam in balneo strangulavit. Iustinianus, Guandalis ab Africa prorsus eliminatis, Africam in Romanam provinciam reformavit. Theodatus, traditor et strangulator uxoris, penas Iustiniani metuens, Agapitum papam ad imperatorem pro petenda indulgentia et pace transmittit. Qua impetrata, fecit se ab ipso pontifice ad fidem catholicam revocari. Ubi et ipse pontifex diem suum functus, dum per portam regie urbis eius feretrum portaretur, cecus quidam tacto feretro fuit illuminatus. Post hec Basiliarius patricius Theodatum ob commissum in uxore scelus occidit et Guitegismum, post Theodatum regnum invadentem, captum ad imperatorem transmisit atque totum regnum Gotthorum, quod Iordanis actor eorum per duo milia annorum et amplius stetisse commemorat, tunc finivit. Atque per eum sub Iustiniano tam Wandalis ab Africa quam Gothis ab Ytalia extirpatis, utrasque provincias in pristinam Romanorum subiectionem reduxit. Hucusque Iordanis episcopus, natione Gothus, ut ipse testatur, sua cronica et Gotthorum istorias protelavit. Basiliarius[Page 192]

patricius cum Teodeberto, filio Glodovei, fratre Lotharii, qui cum 200 milibus Italiam invaserat, bellum commisit et rogantibus Francis pacem concessit atque sine damno Romani militis Italiam exire persuasit. Interea Parthi totam Siriam et urbem Antiochiam invadunt et depopulantur. Quibus occurrens Bilisiarius patricius Guandalorum et Gotthorum [fit] triumfator, [nam] vicit et a terminis Romanorum [eos] repressit. His diebus Gothi cum rege suo Totila tumultuantur in Italiam iter deflectunt.

23. *Quo tempore Lombardi habitabant in Ungaria.*

His temporibus gens Lombardorum, que ab insula Scantia, quam alii vocant Scathinaviam, a qua etiam primi Gothi egressi fuerunt, cum Alboino rege suo in Pannonia habitabant. Qui non multo post Italiam occupaverunt, sicut postea dicemus, Bilisiarius patricius in Ytalia manens, precepto Theodore auguste Silverium papam invitus in exilium misit. Priscianus tunc libros gramaticae artis ad Iulianum consulem et patricium a Cesarea scripsit. His etiam diebus beatus Benedictus abbas regulam monasticam scripsit. Iustinianus principes egregius, re publica suo tempore satis sublimata, anno 39. imperii sui diem obiit. Hucusque Victor episcopus Turonorum cronica sua perduxit. Cetera de Iustiniano et de pontificibus sui temporis versifice proferamus.

Item de eodem Iustiniano imperatore versifice.

Suscipit imperium pro tempore Iustinianus,

Cuius et officio legalia iura petamus;

Iure suo regimur, nam sua iura damus.

Eius ab imperio gens Guandala victa fugatur,

Omne decus Domini virtute sua reparatur,

Gaudet et ecclesia pace manente sua.

Per triginta duos vitam deduxerat annos.

Hic quoque cum Gothis conflixit sepe tirannis;

Gotthorum princeps Athalaricus adest.

Hiis modo temporibus fuit alter papa Iohannes;

Vixit et Agapitus Rome tunc presul amandus.

Hii duo dum fuerant, Athalaricus erat.

Presul uterque fuit annis quasi bis duodenis.
Gothorum regis Teobaldi copia venit,
Ille per Italiam pessima gesta dedit.
Vivit adhuc magnus, quem scripsi, Iustinianus,
Silverium papam cum quo modo commemoramus,
Octo sibi menses vivere rite damus.
Silverius sine decreto fit Iustiniani;
Teobaldus simul et Gothi nunc heresiani
Ipsum constituunt; cesaris ira salit
Dum Teobaldus obit, commotus Iustinianus
Imperat, ut Gothi, quos noverat heresianos,
Cedat ab Italia pernitosia manus.
Vigilius papa vixit cum Iustiniano,
Vivere sex annis quem tempore commemoramus,
Vigintique dies, plus quoque quinque damus.
Nunc rex Gothorum capitur dictus Guitigous.
Iustinianus eum missum sibi morte malorum
Iudicat, et gladio pertulit ille forum.
Pelagius papa fuerat cum Iustiniano,
Annis bis binis quem vivere commemoramus,
Plusque decem menses de ratione damus.
Pelagius papa cum vellet in Urbe sacrari,
Pontifices ad sacra duos peragenda vocavit;
Hii duo sufficiunt ad sacra, canon ait.[Page 193]

Sicque Ferentinus, sic presul adest Perosinus,
Presbiter Andreas, hii tres tenuere triclinum,
Non fuerant plures, nec tibi narro minus.
Tertius est cum Iustiniano papa Iohannes;
Hic modo bis senos sub cesare vixerat annos,
Undenos menses vicesiesque diem:
Nunc acies quasi pugnantes super ethera vise
Sunt, velut ignite, multeque videntur ubique;
Quid sit et unde venit, nec recitare licet.

24. De Iustino iuniore imperatore Grecorum.

Anno ab incarnatione Domini 567. regnante in Francia Hilperico, filio Glotharii, cum tribus fratribus, Iustinus iunior, Iustiniani nepos, natione Trax, 52. ab Augusto, imperium, ab Euticio patriarcha coronatus, suscepit. Iste ecclesias ab antecessore suo institutas multa largitione ditavit. Huius diebus pax inter Romanos et Persas rumpitur. Imperator autem ad Aretham regem Indorum Iulianum transmisit. Qui eum, sicut hic describimus, ornatum invenit. Stabat itaque rex [Indorum] pene nudus, habens circa lumbos tantum cincturam et linea vestimenta auro contexta, et circa ventrem indumenta scissa, margaritis preciosis conserta; in brachiis habebat quinos circulos et aureas armillas, in capite pannum gemmis ornatum, in collo torquem aureum. Super quatror elefantis, rotis quatuor, curru excelsa innitebatur stans. Scutum parvissimum deauratum cum duabus lanceolis in manu tenebat. Quem cum Iulianus contra Persarum regem armasset, reversus est. Item Iustinus, misso Narse, cum auxilio Longobardorum, Totilam regem Gothorum interfecit, et Gothos de Ytalia radicitus extirpavit. Et Buccelinum principem regis Francorum, ad devastandam Italiam missum, occidit; atque Sindoaldum regem Brendonum, qui de comitibus Odoaci adhuc in Italia supererat, suspendio peremisit. Itaque cum Narses, deletis omnibus barbaris, Italiam in statum pristinum reduxisset, Romani, ut assolet, eius prosperis successibus invidentes, apud augustum atque apud uxorem eius accusabant. Quamobrem imperator misit Longinum ad occupandum locum eius in Ytaliam. Sophia quoque augusta furore muliebri succensa, Narsen sicut eunuchum inter mulierculas suas ponendum et more mulierum sibi servitum minabatur. Que omnia Narses gravissime ferens, Neapolim se contulit, missaque legatione, Longobardos in Italiam vocavit. Quorum adventum igne acies in celo, teste Gregorio, precesserunt, et vise sunt a multis, que et futuram effusionem sanguinis indicabant. Ex tunc Roma non solum provincias Transalpinas, set et ipsam Ytaliam, que ab illo tempore a barbaris, quos Longobardos vocamus, inhabitatur, amisit. Porro Iustinus imperator Tyberium comitem in filium adobtavit et cesarem legit. Cum vero se moriturum cognosceret, vocato ad se Euticio pontifice et senatu, Tyberium ex cesare fecit augustum. Ipse autem 11. imperii sui anno diem obiit.

De eodem Iustino versifice, et de papa sui temporis.

Iustinus minor imperii dum sede sederet,
Ungaricos proceres secum decrevit habere,
Adversus Ligures prelia multa gerens.
Vigilogus rex Gothorum tunc prelia gessit,
Ispanos feritate sua gladioque repressit, Qua multas urbes dissipat atque tenet.
Surgit Pelagius nunc Rome papa secundus,
Germine Romanus, discretus et ore facundus,
Set sine Iustini lege resedit ibi.
Nam Lombardorum violenta manus populorum
Igne, fame, gladio partes premit Italicorum,
Urbs erat obsessa Romuleumque solum.
Tantaque nunc orbi pluviarum copia cedit,
Quod populus iam diluvium consurgere credit;
Destruxit pontes, plurima dampna dedit.
Nunc minor undenis Iustinus presidet annis.
Tunc primus Benedictus erat presul venerandus,
Uno plus mensem sexque decemque dies.

In marg. C4:] Nota duos episcopos sufficere ad consecrationem Romani pontificis, ubi necessitas postulat.

P. 193 v. 7 post vise in marg. B1. 2:] Nota miracula in aere visa.

P. 193 v. 49 post venerandus addit A:] Amnis bis binis stat pia vita sibi.[Page 194]

Mira fames Ligures et belli copia pressit,
Primaque Lombardis super illos gloria cessit;
A longis barbis nomina fama trahit.

25. *De Tiberio Constantino imperatore Grecorum.*

Anno ab incarnatione Domini 576. Tiberius Constantinus, natione Trax, ab Euticio patriarcha coronatur. Qui ab Augusto 54. imperavit. Iste dum in palatio suo deanubaret et crucem in pavimento sculptam videret, dixit: *Elevetur signum crucis hoc a pavimento. Crucem enim Domini debemus adorare, non pedibus conculcare.* Qua sublata, iterum aliam crucem ibidem sculptam invenit. Qua rursus inde sublata, tertiam iterum crucem ibi sculptam aspexit. Quapropter ibidem profundam foveam fieri iussit, ubi fodiendo multum aurum invenit. Similiter postea mortuo Narse patricio, in puteo quodam aurum plurimum est inventum. Que omnia imperator more suo pauperibus erogavit. Item imperator, Italia tunc a Lombardis vastata, sub papa Benedicto, multas naves ab Egypto frumento honustas Romanis fame laborantibus misit. Persas per ducem Mauritium gloriose devicit, quem postea sibi generum et cesarem fecit. Item Hilperico regi Francorum mirifica dona transmisit. His diebus Gregorius Romane ecclesie archidiaconus a papa Pelagio Constantinopolim missus, Moralia lob Leandro descriptis; atque Euticum, ipsius urbis episcopum, de fide resurrectionis errantem, coram imperatore correxit. Tiberius autem, substituto sibi in imperio genero suo Mauricio, anno imperii sui 6. in pace quievit. Cetera de Tiberio versus habent.

De eodem Tiberio imperatore et de papa sui temporis versifice.

Tiberius cum Pelagio nunc presule sedit.
Gothica gens tandem proprio se vulnere cedit;
Sic sibi tunc finem turba maligna dedit.
Cesar sex annis, undenis papa quiescat;
Undenos menses pape subiunge diesque,
Insuper ad requiem iungere quero diem.

26. *De Mauricio imperatore et de papa sui temporis.*

Anno ab incarnatione Domini 583. Mauritius, ex Capadocia oriundus, primus de genere Grecorum, ab Augusto 55., imperat. Huius diebus beatus Gregorius imperatoris consensu suscepit pontificatum Romanum. Tunc sanctus Columbanus Scotus, Luxoviensis abbas, persecutione compulsus, in civitatem Italie Bobium venit, ibique obiit. Tunc Romericus in monte suo Romerico nobile cenobium sanctimonialium fecit. Tunc etiam in Suevia sub dioecesi Constantiensi ecclesia sancti Galli valde honorabilis constructa est, eo vivente, cum esset abbas, ut dicitur, 400 monachorum. Qui omnes sancti esse creduntur, uno solo excepto Ebruino. Qui, dimisso tunc ordine monastico, factus est maior domus in regno Francorum per Brunihildam reginam, set nequissimam feminam; cuius instinctu ille Ebruinus ecclesiam Dei est persecutus et quosdam martires fecit. Brunihilda tamen pro his peccatis dignam penam portavit. Ipsa namque a rege Glothario ad caudas equorum indomitorum ligata et tracta, finem miserabilem, set dignum accepit. Mauritius imperator, dum beatum papam Gregorium persequi non cessaret, anno 24. imperii sui videt in visione monachum ante se stantem cum gladio vibrato, dicentem sibi: *Ecce, tu morieris.* Quo viso perterritus, culpamque suam cognoscens, pape Gregorio et episcopis atque abbatibus religiosis humiliter scripsit, ut apud Deum suis precibus impetrarent, quod Deus eum pro suis culpis non in futura, set in presenti vita puniret. Ipse quoque id ipsum apud Deum multis lacrimis exorabat. Cum ergo Deus ad ecclesie petitionem imperatorem vellet audire, videt imperator in somnis se coram Crucifixo apud eneam portam palatii stare vocemque terribilem audire: *Date Mauritium, date Mauritium.* Et iterum: *Ubi vis, o tu Mauriti, reddam tibi mala que fecisti, hic, an in futuro?* Cumque ille respondisset, dicens: *Non in futuro*, iussit eum cum uxore et liberis et cum omni sua cognatione ad Focam duci et tradi. Mane facto, Filippo genero suo ad se vocato, somnioque narrato, ait: *Numquit Focam illum cognoscis?* Ille respondens: *Iuvenis est, inquit, et temerarius.* Nuntii interea, quos ad viros Dei Mauricius miserat, tunc reversi, similia responsa ab eis in somnis visa renuntiabant. Itaque exercitus a Mauritio missus, dum eius avaritia fame laborarent, in seditionem versi, Focam sibi creant imperatorem. Quod audiens Mauritius, prefate visionis presagium esse percepit. Focas insecutus Mauritium, iuxta Calcedonam eum culpam suam recognoscentem cum uxore et filiis secundum visionem predictam decollavit. Cetera de Mauricio versus habent.

Item de eodem Mauricio et de papa sui temporis.

Tempore Mauriti Rome diademate functi
Catholice sunt ecclesie baptimate iuncti
Gothorum populi, munere dante Dei.

P. 194 v. 1 post pressit in marg. add. B:] Nota quando Lombardi primo intrant Ytaliam.[Page 195]

Mauritii tempus viginti perficit annos,
Insuper annus erit recto numero numerandus;
Cum quo Gregorii vita beata fuit;
Tresque decemque simul regit annis pontificatum.
Urbis et orbis honor per eum digne relevatur;
Annis sex menses iungo decemque dies.
Gregorius sub Mauritio dum sede levatur,
Contempnit sedem, devitat pontificatum,
Iussu Mauritii cogitur atque venit.
Iste lob exposuit, lustravit et Ezechielem,
Docmate pastorum prefulget et in Daniele;
Ipse cathalogus est, ut sua Roma tenet.

27. *De Foca imperatore.*

Anno ab incarnatione Domini 603. Focas, 53. ab Augusto, imperium sortitur, habens uxorem Leontiam nomine. Iste primo patricii cuiusdam strator fuit, postea miles, ad ultimum imperator. Anno imperii eius secundo beatissimus papa Gregorius migravit ad Dominum. Tunc tercius Bonifacius papa impetravit a Foca, ut ipsius auctoritate Romana ecclesia caput omnium diceretur ecclesiarum. Nam Constantinopolitana ecclesia se primam - puto propter regni

sedem illuc translatam - inscribebat. Post hunc alias Bonifacius quartus a beato Gregorio precibus ab eodem Foca augusto obtinuit, ut templum a Domitiano imperatore constructum, quod Pantheon vocabatur, ecclesie Dei datum in honorem omnium sanctorum dedicaretur. His diebus Cosdroas Persarum rex Orientem pervagatus, multas Romanis provincias abstulit, ac vivifice crucis vexillum ab Ierosolimis asportans, in solio suo, ubi se ut deum adorari fecerat, posuit. Focas autem cum multa scelera et homicidia perpetraret, ab Heraclio, Heraclii patricii pretoris Affrice filio, vocatu Prisci patricii generi sui, 8. imperii sui anno interficitur. Cetera [de Foca et de papa] versibus explicitur.

Item de eodem Foca versifice.

Foca sedet cesar, restaurat et undique lesa;
Agmina Lombarda sub eo sunt plurima cesa,
Et dedit ecclesiis pace sedere suis.
Imperio Foca Lombardus ab Urbe fugatur,
Tuscia, Spoletum virtute sua revocatur,
Pax erat Italicis set recidiva satis.
Octo sedens annis Focas tenet imperiatum.
Nunc Fabianus sub Foca papa vocatur,
Anni solius cui modo vita favet.
Tertius est papa Bonifatius ille benignus,
Qui petit a Foca munus per secula dignum;
Ut sedes Petri prima sit, ille dedit.
Prima prius fuerat Constantinopolitana,
Est modo Romana, meliori docmata clara,
Petrus enim princeps docmata prima parat.
Octo capit menses vite Bonifatius iste,
Bisque decem numerando dies pro tempore siste,
Sic tempus pape sub brevitate cape.
Quartus cum Foca Bonifatius ille notatur,
Annos tres, octo menses cui vita paratur;
Viginti quinque post superadde dies.
Foca Bonifatio dat Panteon ante sacrari,
Qua cuncti statuere Dei sua fana parari,
Idola constitui, pinguia thura dari.

P. 195 v. 35 post benignus *in marg.* B1:] Nota, quis constituit Romanam sedem primam esse in toto mundo. [Page 196]

Hec domus inmunda sacra benedicitur unda,
Demonis existens fit sancta Maria Rotunda,
Primaque demonii nunc manet aula Dei.
Papa Deusdedit cum Foca cesare sedit,
Cui ternis annis populus Romanus hobedit,
Vigintique dies plus sibi vita dedit.
Iste fuit Focas cum seditione levatus,
Milite fautor regnat, nolente senatu,
Tunc pars nobilium perdidit ense caput.
Nunc gens Persarum, Romanis subdita pridem,
Iam transgressa fidem, populus non permanet idem,
Prelia permiscet; Roma caduca silet.
Cum fuerit domina, perdit gens Romula Persas.
Sic et Ebreorum sunt prelia prisca reversa,
Romanus populus perdit utrumque solum.

28. *De Eraclio imperatore Grecorum.*

Anno ab incarnatione Domini 612. Eraclius, occiso Foca, a Sergio patriarcha coronatus, 56. ab Augusto, sortitur imperium, regnante in Francia Glothario, filio Hilperici. Iste anno imperii sui secundo genuit filium Eraclium Constantimum ex Eudoxia. Mortua vero Eudoxia, filiam sororis sue Martinam incestuose sibi copulavit, et ex ea filiam Eraclonam suscepit. Hucusque Ysidorus episcopus istoriam suam perduxit. Anno imperii sui 8. dum Eraclius a rege Persarum Cosdroe pacem peteret nec impetraret, ipse quarto postea anno, qui erat imperii sui 12., exercitum movet in Persidem. Eundo autem in ponte Danubii cum filio Cosdroe habuit singulare conflictum. Quo ibidem occiso et parte exercitus ipsius tunc ad christianitatem conversa, processit atque omnem Persidem devastavit. Cosdroem in celo aureo tunc una cum cruce Domini sedentem occidit, et lignum sanctum inde accepit. Inde reversus Constantinopolim cum triumfo, postea crucem Ierosolimam reportavit. Ubi in introitu ipsius porte miraculum magnum apparuit; quod miraculum ego versifice in fine capituli huius annotavi. Ab illo tempore exaltatio sancte crucis cepit ab ecclesia celebrari. His diebus Anastasius quidam in Perside, magus prius, postea christianus et monachus, cum aliis septuaginta martirium sub iudice Marzabona pro fide Christi suscepit a Persis. Cuius tunica postea quidam demoniacus indutus, curatus est. Huius corpus Eraclius de Perside absportavit. Eo tempore Machomet, quem Sarraceni hodie colunt, natus de stirpe Ismahelis, patre gentilis, matre Iudeus, legem suam predicabat. Eisdem diebus, mortuo Glothario rege Francorum, Dagobertus, filius eius, satis puer erat; quem Arnulfus maior domus, qui tunc maior domus erat, educavit. Idem Arnulfus postea Metensis episcopus fuit. Iste Dagobertus in Francia solus regnabat. Set fratri suo Heriberto circa Ligerim fluvium paucas urbes et pagos dimiserat. A Glodoveo enim usque ad istum Dagobertum regnum Francorum inter diversos fratres varie divisum, et inter filios filiorum confuse et inequabiliter regnatum erat. Terminus autem regni Francorum erat iam ab Yspania usque Pannionam, habens in uno fine Aquitaniam, ex alio autem capite ducatum Baguarie, qui protenditur usque Ungariam. Aquitaniam quidem in occidente, Baguariam in oriente habebat rex Francorum. Dagobertus itaque unicus rex Francorum leges Baguaris dedit. Qui dum, patre suo Glothario adhuc vivente, cum Saxonibus bellum inisset, ab eis graviter est vulneratus. Unde postulato et accepto a patre auxilio, iterum cum Saxonibus pugna congreditur. Quibus gloriose victis atque fugatis, universam Saxoniam sue dicioni subiecit, omnesque illius gentis masculos, qui gladio Dagoberti statuta fuerant longiores, eius imperio legimus tunc fuisse peremptos. Eo tempore beatus Cunibertus

Coloniensis erat episcopus. Eraclius interea a Sergio patriarcha seductus, heresi Euticana inficitur; insuper fit mathematicus et astrologus. Tunc per constellationes cognovit, quod homines circumcisi essent eius imperium vastaturi. Existimans autem homines illiusmodi esse Iudeos, missis ad Dagubertum legatis, omnes Iudeos postulat iussu regio baptizari. Quod etiam impetravit. Ipse quoque Eraclius de Iudeis sui imperii similiter fecit. Non multo post Agareni, qui omnes sunt circumcisi, imperium eius invadunt. Qui cito Eraclii missum contra se exercitum perdunt. Eraclius econtra apertis portis Caspios educit homines sevissimos, quos Alexander Magnus propter eorum immanitatem super mare Caspium olim conclusit, et cum istis adversus Agarenos imperator bellum instaurare proponit. Angelus autem Domini eadem nocte, dum mane fuerant pugnaturi, de imperatoris exercitu 52 milia interfecit. Unde fractus animo imperator, ex dolore fit tumidus et in ydopisim versus, anno imperii 47. emisit spiritum. O iudicia Dei iustissima! Quia Eraclius per virtutem et signaculum victoriosissime crucis gloriosissime triumfaverat, postea Dei [et ipsius] crucis oblitus, magis in auguriis quam in divino auxilio confidebat, ab Agarenis, qui nec inter viros fuerant computandi, meruit infeliciter superari. Cetera de Heraclio et de cruce atque de Cosdroe versibus exponamus.[Page 197]

29. *Item de Eraclio et de exaltatione sancte crucis et de papa sui temporis.*

Eraclius stat magnificus, diadema summus.

Gothorum rex mirificus regnat Sisimundus,

Multos Iudeos subdidit ille Deo.

Expedit Eraclii iam cesaris acta fateri,

Qui crucis et cleri studuit loca, iura tueri,

Pro cruce quanta gerit, sermo canendus erit.

Urbs bona Davitica, modica sub pace quieta,

Fertur ab antiqua Persarum gente petita,

Marte requisita, crux latitabat ita.

Cosdroes iratus disponit, ut urbs capiatur;

Urbs ubi pugnatur, capitur populusque ligatur,

Cumque crucem rapuit, Persica gens habuit.

Cosdrois aula fuit valida testudine plexa,

Intus habens latera gemmis auroque retexta,

Qua velud etherea sidera fixa micant.

Sub specie celi potuit domus illa videri,

Desuper instituit currus quandoque moveri,

Unde ferens strepitum fulmina facta dedit.

Celibe mentita sedet impius arce petita,

Cum cruce quesita putat illic vivere vita,

Nec metuit mortem, dum resideret ita.

Filius ex ipsa patris feritate patrissat,

A criter admissa fert prelia, sanguine mixta,

Militibusque suis in loca sancta ruit.

Obviat Eraclius, reprimens virtute superbum,

Ponenteque Danubii celebrat cum rege duellum,

Et virtute crucis diripit arma ducis.

Inpius occisus cadit hic, set credere visus,

Devictus populus rediit, baptismate natus,

Miles et ipsius credidit in Dominum.

Signa iubet cesar per climata Persa moveri,

Cosdroes absconsus memorati tecmine celi,

Deditus interiit, celica ponpa perit.

Amputat Eraclius regis caput ense malignum,

Obsequium dignum recipit venerabile signum,

Ad loca Davitica cum cruce signa micant.

Montis Oliveti, victorum munere freti,

Dum portas penetrare putant cum cesare leti,

Porta fit ut paries, turba repulsa reddit.

Affuit angelicus pro cesare sermo venustus:

Nolo, quod augustus gemmis procedat honustus,

Intrantis Christi sit memor ipse sibi.

Auferat ornatus, humilis pede progrederiatur,

Eraclii manibus iam crux benedicta feratur.

Porta reformatur, spes via larga datur.

Sufficit Eraclii breviter narrasse decores.

Me vocat ad reliquos regum mea Musa labores,

Karolus et reliqui grandia gesta movent.

Imperat Eraclius annis quasi ter duodenis,

Quo crucis et cleri celeberrima gloria venit,

Illa recordatio perpetualis erit.

Temporis Eraclii nunc papa sedet Severinus,

Artibus edocitus pater est ad docmata primus,

Fertque duos annos ipse duosque dies.[Page 198]

Presul Honorius est sub eodem tempore magnus;

Ipse duodenos in vita perficit annos,

Mensibus undenis, lux quoque dena venit.

Temporis Eraclii quartus fuit ille Iohannes,

Multa per ecclesias argenti munera pandens.

Post annum solum fertur inisse polum.
Temporis Eraclii Theodorus ordine sedit,
Qui post sex annos et menses quinque recedit,
Octo decemque dies plus sibi vita dedit.
Constantinopoli tunc Pirrus erat patriarcha,
Quem probitate sua Theodorus ille cohartat,
Romane sedi quod famulator erit.
Gesta sue partis anathemate Pirrus ademit,
Romano se pontifici subponere venit,
Annis perpetuis sponsio talis erit.
Temporis Heraclii Mauritius ordine sedit,
Constantinopoli, cui Paulus presul hobedit;
Tunc sibi Romana docmata papa dedit.
Sex annis vivit Mauritius ordine rerum
Et mensem, spatio viginti quinque dierum;
Tempora pontificum sic numeranda ferunt.
Eugenius papa sub eodem tempore sedit,
Vita duos annos peragens, a sede recedit;
Adde duos menses, ter dabis octo dies.

30. *De Eraclio Constantino imperatore, filio magni Eraclii, et cronica sui temporis.*

Anno ab incarnatione Domini 639, regnante in Francia Dagoberto, Constantinus Heraclius, Heraclii filius, 57. ab Augusto, regnum adeptus, 4. imperii sui mense fraude noverce sue Martine Pirrique patriarche veneno necatur. Ipsaque cum filio suo Heraclona regnum usurpans, per duos annos tenuit. Mutilatis ergo naribus filii sui matrisque ipsius lingua abscisa, Constans, Constantiniani Heraclii filius, a senatu imperator creatur. Pirrus quoque patriarcha, sceleris illius actor, in exilium truditur, et in locum eius Paulus subrogatur. Hic est Pirrus, qui cum Cyro Alexandrino episcopo heresim, que duas in Christo voluntates negabat, condidit. Cetera versus habent.

Item de eodem Constantino tertio.

Tertius accedit cesar Constantinianus,
Papaque Romanus residet nunc Vitalianus.
Grandis in ecclesiis fit per utrumque salus.
Octo tulit cesar pro vita temporis annos,
Papa quater senos annos ratione notandos,
Et menses septem vixit et octo dies.
Papa Deodatus sub eodem tempore venit,
Annis bis binis et bino mense recedit,
Quinque dies ultra tunc sua vita dedit.
Papa Dionisius sub eodem rege notatur,
Annis quinque sedens et menses quinque moratur,
Octo diebus ei plus quoque vita datur.
Agapitus papa sub eodem tempore sedit,
Post annos binos et menses octo recedit,
Bisque dies septem plus sibi vita dedit. [Page 199]

31. *De Constante imperatore, filio Constantiniani, et cronica sui temporis.*

Anno ab incarnatione Domini 642. pulso cum matre Heraclona, Constans, Constantiniani filius, 58. ab Augusto, regnavit. Hic cum in eandem quam avus suus Heraclius heresim fuisse lapsus, Martinum papam, eo quod Paulum patriarcham, Pirrum et Cyrum habita synodo excommunicasset, apud Cersonam in exilium misit; ubi multis miraculorum signis refulgens, migravit ad Dominum. Porro Constans, congregata sub Vitelliano papa sinodo, heresim abdicavit, ac beato Petro mire magnitudinis euangelia, auro cooperta, gemmis ornata, misit. Ipse vero non multis post diebus Italiam a Longobardorum potestate eripere volens, per equora navigando, Tarentum applicuit. Post Beneventum veniens, omnes pene civitates, quas Longobardi inhabitabant, cepit. At civitatem Nuceriam ad solum usque prostravit; deinde accepta obside sorore Rumaldi, scilicet Grimaldi regis filia, Neapolim iter flectit. Inde ad Urbem iter tendens, Vitellianum papam in 7. miliario obvium cum clero et populo habuit; ac ita honorifice Romam ingressus, beato Petro pallium auro textum obtulit. Cogitabat autem imperium ad Urbem retransferre, eo quod Constantinopolitanos, qui ei de sacrilegio in Martinum papam commisso consilium dederant, tamquam hereticorum fautores exosos haberet. Huius diebus beata Gerdrudis virgo, Pipini Grossi filia, beato fine quievit. Dagoberto quoque mortuo, Glodoveus, filius eius, successit. Nam alias filius, Sigibertus scilicet, dum adhuc viveret, Austrasiam reliquerat; eumque Cuniberto Coloniensium presuli et Pippino Grosso commendaverat. Constans imperator Eraclius ab Urbe digressus, Siciliam ingreditur. Ubi per sex annos moratus, fraude suorum in balneo occiditur, anno imperii sui 8. Quo mortuo, milites quendam [virum] Mitium nomine imperatorem creaverunt. Hoc comperto, Constantius, Constantiniani filius, intravit Siciliam, et Mitium cum interfectoribus patris sui occidit. Rebusque in Esperia compositis, Constantinopolim reddit.

Cetera de Eraclio Constante versus habent.

De eodem Constante imperatore Eraclio et de papa sui temporis.

Temporis Eraclii fertur Leo papa sedere,
Annos vita decem mensemque refertur habere,
Pollet in eloquio, scripta beata ferens.
Temporis Eraclii nunc papa venit Benedictus,
Ter ternos menses vivit, tumuloque relictus,
Octo dies tenuit, quos sibi vita dedit.

32. *De Theodosio imperatore, filio Constantis Eraclii, et cronica sui temporis.*

Anno ab incarnatione Domini 670. Teodosius Constantinus, filius Constantis Eraclii, cum duobus suis filiis, Eraclio et Tyberio, 59. ab Augusto, sortitur imperium. His diebus Ansgirus, [pater Pipini Grossi], filius beati Arnulfi Metensis episcopi, qui maior domus primus fuerat, in regno Francorum dignitatem maioris domus adipiscitur. Constantinus Teodosius anno imperii sui 17. vitam finivit.

33. *De Iustiniano imperatore, filio Teodosii, et cronica sui temporis.*

Anno ab incarnatione Domini 686. Iustinianus, Teodosii Constantini filius, 60. ab Augusto, imperat. Iste composit pacem cum Sarracenis, et Africam ab eis liberatam imperio Romano subposuit.

34. *Hic incipit progenies omnium Karolorum ab Angisio, filio Arnolfi episcopi Metensis, qui prius fuerat dux Francorum et maior domus.*

Eo tempore [Grossus] Pippinus, filius Ansgisi, factus maior domus, totum regnum administrabat Francorum.

Cuius Pippini Grossi ab hoc loco in antea anni et gesta ponuntur in catalogo regum Francorum. Reges enim Francorum a temporibus istius Pipini Grossi [filii Ansgisi], qui erat maior domus, omnibus regni negotiis et honoribus denudati, nomine solo regnabant. Econtra maiores domus curam et fortitudinem regni tenebant.

Iustinianus a Leontio patricio, quem ipse per tres annos in vinculis tenuerat, naso et labro mutilatur. Qui Leontius per tres annos occupat imperium, ipso imperatore mutilato interim in exilio detento. Post illos tres autem annos Tiberius, qui cognominatur Absmarus, eidem Leontio similiter nasum abscidit, eundemque in monasterium trusit, atque ipse regnum usurpatum septem annis detinuit. His diebus sub Sergio papa septima synodus Aquilegia congregatur. Iustinianus, quem Leontius patricius prius mutilaverat, per adiutorium Torbellis regis Bulgarie urbem Constantinopolim captam recepit et postmodum per sex annos tenuit. Iste tunc cepit Tiberium et Leontium. Quos [Page 200]

etiam in catenis positos per plateas trahi precepit, universo populo post eos clamante sic: *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.* Ipse etiam colla eorum calcans, ad ultimum decollavit eos. Alios quoque, qui perpetrate factionis erga eum rei extiterant, diversis penis fecit cruciari. Item quotienscumque de naribus mutilatis guttam reumatis stillantis tergebat, totiens aliquem illorum necari precipiebat. Ipse etiam Gallicinum patriarcham, erutis oculis, Romam in exilium misit, et Cyrum abbatem, qui ei necessaria ministraverat, fecit patriarcham, atque Tiberium, filium Ciri, consortem regni sibi constituit. Deinde Philippicum, quem ipse in Ponto relegaverat, comprehendere voluit. Philippicus vero ab exercitu imperator creatus, sexto miliario ab urbe Constantinopoli pugna commissa, Iustinianum occidit, filium quoque Iustiniani fideles Philippici necaverunt.

35. *De Philippico Constantinopolitano imperatore, et cronica regum Francorum per idem tempus.*

Anno [igitur] ab incarnatione Domini 714. Philippicus, 63. ab Augusto, imperium accepit. Tunc in Francia solo nomine iunior Dagobertus regnabat. Pippinus vero Grossus maior domus omnem regni honorem et potestatem habebat. Eo tempore populus Romanus statuit, ne carte ipsius Philippici in ecclesia vel etiam iussa eius Rome reciperentur, cum esset hereticus, neque nomen eius inter missarum sollempnia recitaretur. Iste cum in die sancto pentecosten egressus a balneo post meridiem lecto cubaret, a Rufino et Teodoro, per auream portam ingressis, comprehensus necatur post annum et 11 menses, ex quo ceperat regnare.

36. *De Anastasio imperatore, et cronica sui temporis.*

Anno ab incarnatione Domini 714. Artemius, qui mutato nomine dictus est Anastasius, 64. ab Augusto, accepit imperium, et tribus annis regnavit.

Tunc mortuo rege Francorum Dagoberto iuniore et Pipino Grosso, Karolus Martellus, filius Pipini Grossi ex Alfeida [natus], qui fuit avus Karoli Magni, factus est maior domus; qui regnum Francorum per 27 annos administravit, regibus adhuc, set sine honore et utilitate, ibi manentibus. Iste Karolus Martellus, Regimfridum quendam regnum invadere volentem multis bellis pressit, Baguariam et Sueviam subiugavit, Guasconiam, Saxoniam et Fresiam devicit, Sarracenorum 385 milia [in Yspania] occidit. Igitur dum regnum Francorum multis modis sub bellicosissimo principe Karolo Martello augmentaretur, imperium vero Grecorum minueretur, milites adversus Anastasium imperatorem creant Teodosium, licet invitum. Qui conserto prelio Anastasium vicit et presbiterum fecit eum ordinari.

37. *De Teodosio imperatore secundo, et cronica sui temporis.*

Teodosius iste sortitus imperium, 65. ab Augusto, uno anno imperavit. Cui succedit Leo, 66. ab Augusto, manente adhuc in Francia Karulo Martello.

38. *De Leone imperatore Grecorum.*

Iste 66. ab Augusto imperator, vocatus Leo, imagines Domini iussit incendi, et sanctos sue iniquitatibus resistentes decollari. Inter quos passa est sancta Teodoxia, cuius corpus adhuc integrum Constantinopoli cum ingenti veneratione servatur. Gregorius papa cum vidisset imperatorem Leonem iniquum et incorrigibilem, totam Ytaliam a suo imperio discedere persuasit. Eo tempore reliquie sancti Augustini de Sardinia in Papiam a Luprando rege Lombardorum deportantur. Tunc etiam Beda venerabilis presbiter in pace quievit. His diebus Sarraci Constantiopolim per triennium obsidione cinxerunt tandemque sine victoria recesserunt. Rome quoque 300 milia per pestilentiam tunc perierunt. Leo imperator imperii sui anno 4. moritur. Cui succedit filius eius Constantius.

39. *De ultimo [Theodosio] Constantino imperatore Grecorum.*

Teodosius igitur Constantinus imperat anno ab incarnatione Domini 742, 67. ab Augusto. Iste maleficus sacrificabat demonibus, patre suo deterior factus, luxurie et omni immunditie deditus, ecclesiam Dei affligebat. Unde etiam suis iniquitatibus ipse et pater eius meruisse videntur, ut eorum regnum divideretur. Anno imperii illius Leonis primo, Karolus Martellus, filius Pipini Grossi, moritur, relictis tribus filiis Karlomanno, Pipino et Grifone. Quorum Grifo minor inquietus, a fratribus apud Alverniam captus et detentus in prelio, cum uxore sua Suanichilda in quodam castello permansit.

Cetera versifice pagina nostra refert. [Page 201]

Item de eodem Theodosio imperatore versifice et de papa sui temporis.

Teodosii vita fuit annis bis duodenis,

Cuius et ecclesiis ornatus tempore venit,

Hic et ymaginibus ordine stare dedit.

Gregorius cum Teodosio stat papa secundus,

Annis ipse decem fuit Urbis et orbis alumnus,

Ter ternos menses, ter tulit octo dies.

Tempore Gregorii presul Bonifatius extat,

Sede Magantina miracula plurima prestat,

Gratia baptismi Teutona regna tulit.

40. *Incipit prohemium de origine regum Francorum et qualiter vel quo tempore Franci in toto Occidente Romanum imperium obtinuerunt.*

Superius promisso me memini narraturum, qualiter Franci, quorum facimus hic mentionem, in Galliam venerunt, et qualiter a Romanorum principatu seiuncti, in propria sua autoritate et potestate manere ceperunt.

Tempore igitur quo Eneas post Troie destructionem in Italiam venit, Priamus iunior, nepos magni Priami ex sorore, et cum eo Antenor, Trojanorum princeps, cum 13 milibus [armatorum] per mare Illiricum in Venetias venerunt. Ibique Paduam civitatem edificantes, in qua hodie ipse Antenor honorifice sepultus more regio invenitur, per Meotidas paludes in Sithiam regionem sedes suas posuerunt, civitatem Sicanbriam edificantes; unde etiam Sicanbri sunt nominati. Cum autem, toto orbe in provinciam Romanorum subacto, ipsi etiam inter alios subacti fuissent, elapsi tempore Iermaniam occupaverunt; ubi etiam Iermani de cetero sunt vocati. Deinde cum imperator Valentinianus impugnatos Alanos et inter Meotidas paludes receptos delere non potuisset, edictum protulit, ut gens, quecumque Alanos vinceret ac deleret, per decem annos proximos libera esset ab omni tributo. Quare Iermani, ipsius glorie cupidi, adversus Alanos movent exercitum, eosque vincunt et omnino extingunt. Unde et per decem annos liberi a tributo fuerunt; et propter eandem victoram a Valentiniano imperatore Franci, id est ferores, sunt perpetuo appellati. Expletis autem decem annis, dum Romani a Francis solita tributa repeterent, Franci ob ipsam libertatem effrenes iam facti, ipsum tributum solvere rennuerunt. Habuerunt autem inter se principes antiquos, ut dixi, Priatum [tertium] et Antenorem [tertium]. Quapropter dum a Romanis contra eos pugnatur, occiso in prelio Priamo [tertio] rege eorum, in partes regni Turingie se contulerunt cum principibus suis, filiis scilicet Priami et Antenoris nomine Marcomede et Sunone. Porro defuncto Sunone, communicato consilio, filium Marcomedis nomine Faramundum regem sibi creaverunt. Leges quoque per actores suos Guisogastaldum et Salagastum compositas ex tunc habere ceperunt. A Salagasto illo lex Salica nomen accepit. Qua lege usque hodie Franci utuntur, qui etiam Salici nuncupantur. Mortuo autem Faramundo, filius eius Crinitus successit, a quo Francorum reges Criniti sunt appellati. Hiis temporibus Francia crescere, Roma autem minui cepit, ut supra dixi. Gentes enim, que subacte Romanis fuerant, iam per se ipsas regnare didicerunt. Romani e converso, qui semper imperaverant, servire gentibus cogebantur. Gothi enim cum [iam] ipsam Urbem essent depopulati, ultra Ligerim fluvium in Gallia conserderunt. Burgundiones quoque iuxta Rodanum habitaverunt. Qui et ipsi paulo post reges habere ceperunt. Sic etiam Franci, Reno transmisso, Romanos, qui illuc habitabant, fugaverunt. Postea captis urbibus Tornaco et Cameraco, atque inde paulatim progressi, Remis, Suesonam et Aurelianum et Coloniam, que tunc dicebatur Agrippina, Treverim, ac pene totam Galliam atque Iermaniam, ab Aquitania usque in Baguariam, sibi vendicant atque subiciunt. Glodoveo rege Francorum defuncto, Miroveus, filius eius, a quo Franci Mirovei sunt appellati, successit in regnum. Quo moriente, Hildericus successit. Qui dum luxuriose viveret, a suis expellitur a regno, et ad regem Turingorum Bisinum nomine secessit. A quo humaniter receptus, uxorem suam Bisinam, reginam pulcherrimam, latenter tetigit. Postea idem Hildericus iterum in regnum Francorum per interventum amicorum suorum receptus est. Post cuius vestigia secuta est Bissina regina. Que, interrogante Hildrico rege, ad quid venisset, respondit: *Ad te venio, tecum permansura*. Tenuit itaque rex eam pro uxore, et genuit ex ea filium Glodoveum. Set dum Hildericus expulsus a regno in Turingia, ut diximus, moraretur, Egidius quidam Romanus loco eius substitutus est in regno Francorum. Post octo annos Hildericus revocatus in regnum, urbem Agrippinam invadit, et electis inde omnibus Romanis qui Egidio favere videbantur, suos fautores imposuit Francos. Unde et eandem urbem, que usque in illut tempus dicebatur Agrippina, precepit propter incolatum[Page 202]

Francorum perpetuo Coloniam appellari. Mortuo autem Egidio, filius eius Siagrius in civitate Suesona regnavit. Hildericus rex vita decedens, Glodoveo filio suo regnum dimisit. Iste Glodoveus primus christianus fuit inter reges Francorum, a beato Remigio baptizatus. Siagrius, filius Egidii, dum contra Glodoveum regnare aut certare non posset, secessit ad Alaricum regem Guisogothorum [in Guasconiam]. Qui Alaricus nonus erat ab Alarico magno rege Gothorum, a quo supra diximus Romam captam et depopulatam [fuisse]. Siagrius a Glodoveo reposcitur. Alaricus ei eum remittit. Qui remissus, necatur; omnesque Romani, qui tunc in Galliis habitabant, ita sunt exterminati, ut nec unus posset in omnibus Galliis reperiri. Videntur michi Franci in illis temporibus lingua Romanam, qua usque hodie utuntur, ab illis Romanis, qui ibi habitaverant, didicisse. Que autem lingua eis prius fuerit naturalis, nos ignoramus. Itaque Glodoevus, subiugatis Alemannis, iam christianus factus, Gothis et Aquitanis bellum indicit. Quo dum pergeret, votum vovit beato Martino apud Turonum, qui iam 112 annos post obitum suum habebat [et equum suum optimum ei dedit]. Cumque triumfasset in Gothos et Alaricum eorum regem occidisset, reversus Turonum, gratias egit Deo et beato Martino, ditata etiam tunc ecclesia sancti Martini, equum suum, quem prius iturus ad prelum dederat sancto Martino, per suam pecuniam redimere volens, centum solidos custodi ecclesie pro equi ipsis redemptione transmisit. Equus vero stetit immobilis. Hoc audiens rex, considerat, beatum Martinum illut equi pretium parvipendisse Quare et alias centum solidos insuper pro equi redemptione porrexit. Quibus datis, velociter secutus est equus et regi representatus. Unde fertur dixisse Glodoveus: *Sanctus Martinus est bonus auxiliator, set carus negotiator*.

[Item de Glodoveo.

Glodoveus iste habuit Glodosindam in uxorem, filiam regis Burgundionum. Que cum esset christiana, coniuncta est ei adhuc pagano; et in prima nocte cum introhisset in thalamum, petiti a rege hoc donum, ut ipse tribus vicibus flexis genibus ante lectum suum oraret, ut daretur ei per celestem gratiam cognoscere suum creatorem. Genuit autem ex eo filios tres, quos omnes baptizari fecit, patre adhuc pagano manente. In quodam autem prelio cum gente Sueorum commisso victus rex et fugatus, in ipsa fuga vovit Deo christianorum, quod si inde sine confusione posset redire, ad voluntatem regine reciperet christianitatem. Hoc dicto, victores Suevi per divinum miraculum in fugam vertuntur, et Glodoveus victor efficitur. Dum autem rex a sancto Remigio baptizatur, angelus Domini prebet ei oleum quo ungatur. Quod oleum usque hodie in unctione regum Francorum habetur et in perpetuum reservatur. Iste, sicut superius diximus, est Glodoveus primus rex Francorum baptizatus a sancto Remigio in civitate Remensi. Cuius filii et nepotes ac pronepotes regnaverunt in Frantia usque ad Pipinum Nanum, patrem Karoli Magni. Tunc Hilderico rege Francorum inutili et ignavo monachato et in claustrum intruso, Pipinus per electionem Francorum rex factus et patricius Romanorum per Zachariam papam vocatus est.]

Hec omnia de origine Francorum ponimus in hoc loco, sub titulo Leonis imperatoris

[Grecorum], cuius temporibus Greci dominium Rome omnino perdiderunt, et Franci imperium Romanum [Rome et] in Occidente habere cuperunt. Primo quidem per Karolum Martellum, quem Pippinus Grossus maior domus genuit ex Alfeida ducissa occulto coitu, deinde per Pipinum Nanum, filium ipsius Carli Martelli, postea per Karolum Magnum, filium Pipini Nani, primum imperatorem Francorum, deinde per Ludoicum, filium Karoli, et deinceps usque in presentem diem, sicut in posterum per distincta capitula suis locis et temporibus, autore Deo, referemus.

41. *De ultimo Leone imperatore Grecorum, cuius temporibus imperium Grecorum ad Francos est devolutum, et de Romanis pontificibus illius temporis, et cronica diversorum.*

Cesaris imperium nunc fertur adesse Leonis.

Hic modo quindenis annis fert lora decoris,

Ultimus est ipse, quem sua Roma colit.

Gregorius sedit cum cesare papa Leone,[Page 203]

Annis rite decem Romanum gessit honorem,

Menses ter ternos plus sua vita fovet.

Insuper ad requiem pertulit octo dies.

Carlo Martellus dum Francia regna regebat,

Pipinus Nanus dux tunc cum patre sedebat,

Plurima Gothorum bella frequenter erant.

Grecorum reges hucusque licet memorari,

Quos loquor Italie tunc imperio dominari,

Nunc et in Italia Greca corona cadit.

Vertimur ad Francos, quorum virtute tueri

Itala gens poterit securaque Roma teneri;

Carlo Martellus tutor et auctor erit.

Pipinus Nanus fieri rex inde meretur,

Qui post Martellum papalia iura tuetur,

Fit quoque patricius, fert et in Urbe decus.

Carulus imperium poterit post ista mereri,

Cuius et ecclesia poterit virtute tueri;

Eius ab imperio Greca corona perit.

42. *De genealogia Karoli Magni a tempore attavi sui Pipini Grossi, et qualiter ipsa*

proienies obtinuit regnum Francorum. Que postea sortita est Romanum imperium et totum orbem.

Anno ab incarnatione Domini 710. mortuo Dagoberto minore rege Francorum, filius eius parvulus in tutela Pipini Grossi, qui erat maior domus, remansit. Qui etiam post pauca per insidias quorundam perit. Tunc Grimoaldus, filius legitimus Pipini Grossi, regnum usurpans, a consanguineis Dagoberti regis defuncti captus est, et tamdiu in arta custodia detentus, donec ibi mortuus est. Eodem tempore pars illa Gallie, in qua est Sequana fluvius et Ligeris, vocabatur Gaudina. Ubi duo reguli fratres ex consilio matris invadunt regnum Francorum, cum ibi tunc rex non esset. Et primo impetu [Guarmatiam invadunt, ubi a Francis bello repressi, iterum reparatis viribus civitatem] Maguntiam obsidione cingunt. Ad hec Franci, regem non habentes, Karlum Martellum, filium Pipini Grossi ex Alfeida, regem facere decreverunt. Qui coronam quidem recipere rennuit, set vexillum eorum contra Gaudinos suscepit, et cum regibus prefatis prelio conserto, utrumque manu sua [in prelio] occidit; atque cum ipsa Victoria procedens, Remis et Parisius omnemque Gaudinam provinciam subiugavit. Tunc idem Karlo Martellus perpetuo decreto constituit, illam provinciam Gaudinam [eo nomine] non nominari, set Francigenam appellari. In lingua vero Teutonica iussit [eandem provinciam vocari nomine suo Carlingam, et] eos homines nomine suo vocari Carlingos, sicut a cesare Cesaria dicitur. Quod vocabulum omnes Teutonici usque hodie servaverunt. Dicunt enim: *vado in Carlingam, venio de Karlinga, homo ille Karlingus est, et: linguam habet Karlingam.* In lingua autem Latina vocant eos Francigenas [quasi genitos a Francis]. Teotonicos vero occidentales, id est cis citraque Renum, Francos vocant. Terram quoque ipsam Franciam a Francis dicunt. Franconiam quoque a quodam duce eorum Francone vocare [eam] consueverunt. Itaque de ipso Karulo Martello, qualis fuerit et quot filios reliquerit, dicamus.[Page 204]

43. *Item de Karlo Martello.*

Anno igitur ab incarnatione Domini 714. maior domus erat iste Karolus cognomine Martellus. Qui pater Pipini Nani fuit et avus Caroli Magni. Qui dux et maior domus Francorum existens, natus ex Alfeida ducissa per concubinatum ex patre duce Pipino Grosso, sua prudentia omnes Gallias et Ispanias vicit et subiugavit et ecclesiam Romanam atque Italiam a Gothis liberavit; ipse primus decimas ecclesiarum consensu pape Zacharie militibus dedit in feudum pro ecclesie Dei necessitate. Eo tempore Beda presbiter obiit 9. Kalendas Iunii; qui multa scripta ecclesiis contulit.

Karlo Martellus reliquit duos filios, Pipinum et Carlomagnum, qui simul duces et maiores domus Francorum dicebantur. Set post annos 4 Carlomannus fecit se monacum [in monte Sirapti prius et postea] in monte Cassino. Pipinus [vero] per papam Zachariam ex electione Francorum factus est rex Francorum, Hildrico ignavo rege per Francos tunc monachato et in monasterio misso. De Pipino vero natus est Carolus Magnus. Cetera versus habent de Leone imperatore et Karulo Martello.

44. *De primo adventu Gothorum in Ytaliam tempore Leonis imperatoris Grecorum, quando Karlo Martellus Ytaliam a Gothis liberavit.*

Cesare Grecorum diadema tenente Leone,

Plaga venit Rome, pax deperit a regione,
Gothica nam rabies prelia dira movet.
Ad scelus eductos peperit Guasconia Gothos,
Copia Gothorum genus est speciesque malorum,
Viribus ipsorum preda fit omne solum.
Marte premunt Ligures, pariunt hinc inde dolores;
Tuscia conteritur, sentit quoque Roma furores,
Itala terra dolet, mors erat ante fores.
Roma requirit opem; Leo non dedit; inde Quirites
Amodo per Francos satagunt has tollere lites;
Teutonici veniunt, Francica signa nitent.
Gregorio papa totoque petente senatu,
Karlo Martellus committere bella vocatur,
Liberet ut patriam, munus ab Urbe datur.
Militis ad pretium decimas res publica donat.
Papa vocat proceres, veniant defendere Romam,
Hiis dedit ecclesia tunc decimata bona.
Copia Gotthorum Martelli marte fugatur,
Roma reformatur, pax ecclesie reparatur,
Gloria Francorum fulget in Urbe capud.

45. *De morte et sepultura Karli Martelli et de filio eius Pipino Nano cum duobus fratribus suis.*

Anno ab incarnatione Domini 743. defuncto Karulo Martello et sepulso eo in Ligurie civitate, que vocatur Aquis, Pipinus, [filius eius] dictus Nanus, et frater eius Karlomannus, cum tertium P. 204 v. 30 post vocatur *in margine addit A1:*] Nota, quod iste Karollus cognomine Martellus pater Pipini Nani fuit et avus Karoli Magni, qui dux et maior domus Francorum existens.[Page 205]

fratrem eorum Grifonem tamquam hostem suum a regno fugassent, regnum inter se dividunt Carlomannus accepit Austriam et Alemanniam et Turingiam, Pipinus autem Burgundiam et Neustriam atque Provinciam [cis Rodanum] sortitur. Deinde multis preliis ab eis contra hostes commissis, anno ab incarnatione Domini 746, quando Vuldense monasterium fundabatur, Karlomannus fratri suo Pipino omnem terram relinquit, et ipse monasticum habitum in monte Siratti, ubi olim latuit beatus Silvester, per papam Zachariam assumit; et inde propter nimiam hominum frequentiam ad montem Cassinensem se transfert, et clericus factus ibidem, vite finem expectavit. Ibi [etiam], sicut dicitur, aliquando porcos custodivit. Ibique in introitu ecclesie beatam sepulturam accepit.

46. *His temporibus Pipinus dux Francorum factus est patricius Romanorum.*

Anno ab incarnatione Domini 751. cum in regno Francorum, regibus solo nomine regnantibus, maior domus omnem regni administrationem ac potestatem haberet, et ecclesia a Gothis atque a Longobardis afflita instanter a Francis auxilia postulasset, Pippinus dictus Nanus, cum esset maior domus, ad Zachariam papam legatos suos, Burchardum scilicet Guerzeburgensem episcopum et Folradum capellanum suum, gratia sciscitandi transmisit, et quid de regno Francorum ei videretur agendum, quesivit. Papa itaque, melius esse illum regem, qui regni totius curam et potestatem habet, quam illum, qui solo nomine rex est, remandavit. Stabat enim in rege sola nominis umbra, in Pipino vero potestas et dignitas efficaciter apparebat. Erat tunc Hildericus rex ignavus et inutilis ex antiquorum regum Francorum genealogia, qui [reges] a Miroveo, filio Glodii, omnes Mirovei fuerant appellati. Qui [etiam omnes] inane regis nomen habebant. Reversi sunt igitur Pipini ab Urbe legati, [et omnis Gallia consilio pape Zacharie libenter consensit].

47. *Hoc tempore Pipinus fit rex Francorum.*

Anno [igitur] ab incarnatione Domini 752. autoritate pape Zacharie Pippinus a Bonifatio Maguntino archiepiscopo aliisque regni principibus in civitate Suesiona in regnum eligitur. Sequenti anno papa Zacharia defuncto, Stefanus papa successit. Qui cum ab Agistulfo rege Lombardorum multa [mala] pateretur, Pippino a prelio Saxonum revertenti, ubi etiam de morte fratris sui Grifonis nuntium recepit, occurrit in villa que dicitur Carisius, rogans eum, ut ecclesie Romane succurrat. Cetera versus habent.

48. *De Gothis et de Lombardis, a quibus Pipinus ecclesiam Romanam et totam Ytaliam liberavit.*

Marte prius Gothis procul a regione remotis,
Gens venit Hunorum, Ligurum contraria votis,
Omnibus Italicis pernitiosa locis.
Hec gens bella gerens dum dimicat hoste minante,
Femina pugnando crines sibi porrigit ante,
Barbaque mentita pendula pendet ita.
Mirantur Ligures longas sub pectore barbas,
Cumque vident barbas, metuunt quasi bestia larvas;
Gens Ligurum timuit, cessit et arma dedit.
Sic Longobarda meruit gens illa vocari;
Nisa super Ligures hoc ingenio dominari,
Vicit et Apuliam, litore, rure, mari.
Papa coartatur, Leo cesar ad ista vocatur;
Spes ibi nulla datur, rex Francorum rogitatur,
Set neque rex venit, cum foret umbra caput.
P. 205 v. 32 post ante *in marg. add. B1 manu 2:*] Nota, quod Huni, qui et Longobardi, cum Italiam venissent pugnaturi cum Italicis, feminas in acie posuerunt armatas, capillos earum ante pectus ponentes in modum barbe. Unde et extunc Longobardi vocantur.
P. 205 v. 39 post mari add. A. B. C:] Rex Lombardus erat Luprandus in urbe Papia,
Qui gravat ecclesiam, Romam premit usque Sutriam,
Nec patitur patriam pacis habere viam.

Hildricus tunc ignavus regnasse videtur,
 Qui neque Francorum regnum virtute tuetur,
 Nec bene regales novit habere lares.
 Pipinus dux Francorum sua regna tueri
 Curat, et ipse domus maior censetur haberri,
 Rex et patricius qui cito magnus erit.
 Pipinus dux Francorum tunc regna regebat,
 Regis et officium plene sub rege tenebat;
 Rex ibi tunc vacuo nomine vilis erat.
 Coram principibus dum rex in sede sederet,
 Nil ibi preciperet, nisi dux prius ille iuberet,
 Iura, potestatem dux erat ipse gerens.
 Rex erat Hildricus, qui tunc regnasse putatur,
 Umbra fuit regis, non rex, si iure notatur;
 Francia si poterit, non erit umbra caput.
 Tunc rex Luprandus regnabat in urbe Papia,
 Opprimit et Romam, simul et papam Zachariam
 Et nimis ecclesiam perdere semper yhat.
 Dum regimen regni Francorum Nanus haberet,
 Rex tamen Hildricus vacuus vilisque sederet,
 Nanus apostolico scripserat ista ferens:
Si cupis ecclesias regni virtute iuvari,
 Precipias regem validum fortisque levare;
Robur ad hec patrie nos retinemus, ait.
Nam rex Hildricus, cui nomen Francia prestat,
 Iam quasi non extat, cui non datur ulla potestas,
 Nudum nomen habet, set michi terra favet.
 Scribe, pater, Francis, pete, suggere, precipere semper,
 Ut faciant regem patria gladioque potentem;
Nam nichil auxili principis umbra facit.
 Littera papalis Francis celeberrima venit;
 Erigitur solium, Pipino gloria cedit,
 Quippe sibi regnum Francia tota dedit.
 Hildericus factus monachus caput ipse totondit, Seque monasterio sub religione recondit,
 Sic fortuna fuit, sic rota versa ruit.
 Sede Magantina regem Bonifatius ungit;
 Regis ad obsequium se Francia subdita iungit,
 Ad regem Nanum cedit ubique salus.
 Sic probitate sua regnum Pipinus adegit,
 Corpore qui minimus res ad meliora redigit,
 Et melius reliquis subdita regna regit.
 Eius sponsa fuit grandis pede nomine Berta:
 Venit ab Ungaria, set Greca matre reperta,
 Cesaris Eraclii filia namque fuit.
 Ex hac mistura fit summa corona futura:
 Karolus est Magnus, quem Berta fuit paritura,
 Stirps divisa prius iungitur arte sua.
 Nota, Troianam propaginem in duo genera regum quondam fuisse divisam, id est in
 Eneam et Priamum iuniorem. Eneas venit in Italiam, a quo omnes Romani reges et imperatores
 exierunt. Priamus vero [iunior] ivit in Germaniam, a quo omnes Germani sive Teutonici
 reges nati sunt. Iste itaque due progenies a Troia venientes in unum Karolum
 P. 206 v. 5 post haberi *in marg. B1 manu 1:*] Maior domus dicebatur Pipinus dux Francorum, qui tunc factus rex genuit
 Carolum Magnum.[Page 207]

Magnum concurrunt, cum sit Teutonicus patre et Romanus sive Grecus a matre Berta,
 [sicut inferius versibus exprimitur].

In duo divisa Troiana propago parente
 Iungitur in Berte Pipini semine ventre;
 Semine Pipini Troia fit una sibi.
 Si modo Teutonica Romanaque germina queres,
 Gemma parentele stat Carolus unicus heres, Romuleus matre, Teutonicusque patre.
 Pipini regis digressio scripta quiescat,
 Contra Lombardos Pipini gesta patescant;
 Qualiter ecclesiam iuverit, ecce canam.

49. Item de Pipino, qualiter fit rex Francorum per papam Zachariam.

Anno ab incarnatione Domini 754. Pippinus per Stefanum papam a fidelitate Hildrici predicti Francorum regis
 cum omnibus Francie principibus est absolutus. Tunc etiam, Hilderico tonsurato et monachato atque in monasterium
 detruso, Pippinus regalem recipit unctionem. Eo tempore finem accepit regnum Miroveorum. Incipit autem
 regnum Karolorum. Qui Grecorum imperium Rome postea obtinuerunt. Ex hoc etiam facto Romani pontifices
 mutandi regnum trahunt autoritatem. Pipinus igitur extunc regnum Francorum nomine et re laudabiliter
 gubernavit.

Anno autem ab incarnatione Domini 755. Pipinus rogatus a papa Stefano, contra Agistulfum regem Longobardorum
 movet exercitum et Italiam intrare disponit. Cum autem Longobardi per angusta montium positis ante se

ad tutionem validis muris defensionem sibi parassent, Pipinus, occisis ex eis plurimis, murorum claustra confregit, et pertransiens, in plano Lombardie resedit. Austulfus rex in Papiam se colligit; ubi a Pipino obscessus, 40 obsides dare atque insuper iurare compellitur, ne Romanam ecclesiam anplius infestaret. Ubi Stefano papa honorifice cum militia Francorum Romam remisso, ipse in Franciam remeavit. Hoc anno Bonifacius Maguntinus archiepiscopus, qui ecclesiam Fuldensem aliasque multas fundaverat, a Fresonibus, quibus predicaverat, martirio coronatur. Cetera, si qua placent, versibus acta patent.

50. *De obitu Luprandi regis Lombardorum et de Agistulfi regis exaltatione et de primo introitu Pipini in Ytaliam.*

Luprandus moritur; Astulfus sede levatur,
Cuius et ecclesia graviore furore gravatur,
Eius primatu Roma perire datur.
Aurea Romanus sibi ferre tributa iubetur;
Romanus presul nusquam sua iura tuetur,
Greci dissimulant, nec sua regna iuvant.
Nunc prece Pipinum repetunt ad prelia, primum
Vincere Ticinum, regemque repellat ad imum,
Liberet Italiam Romuleumque sinum.
Venit, et obsedit, regem pariterque coegit,
Reddere Romanis que tunc Astulfus abegit;
Gratia fit regi, qui loca sancta regit.
Visitat almificam Pipinus in agmine Romam,
Nec tamen in Roma voluit gestare coronam,
Fit modo patricius, nomen honorque tonat.
Inde Magantinas patrie remeavit ad hedes,
Regia Francorum que tunc erat inclita sedes,
Qua Iermanorum gloria summa sedet.[Page 208]

Dum rex Luprandus regnaret in urbe Papia,
Papa prius dictus sua fata tulit Zacharias,
Annis vita decem, bis quoque mense sedet.
Ter senos numerando dies superaddis ad annos,
Erigitur Stephanus Rome presul venerandus,
Cuius et a studiis pax rediviva fuit.

51. *De secunda rebellione Agistulfi regis et de secunda victoria Pipini super eum.*

Rex Longobardorum Agistulfus post Pipini discessionem, ruptis promissionibus, adversus ecclesiam sevior solito apparebat. Unde Pipinus iterum cum fortitudine Ytaliam ingreditur; rursusque Agistulfus in Papia obscessus, omnia corrigere fortioribus promissionibus et pluribus obsidibus coartatur. Insuper ecclesie Ravennam cum quibusdam aliis urbibus coactus est resignare. Ipse autem Pipinus in Galliam est reversus. Sequenti anno Grecorum regno, sicut supra taxavimus, decrescente, Francorum autem regno plurimum iam sublimato, legati Constantini augusti de Grecia cum magnis muneribus ad Pipinum venerunt apud Compendium. Tassilo quoque dux Baguarorum cum suis principibus tunc regi Pipino fidelitatem et subiectionem exhibuit. Post hec etiam Saxones gravissimo bello Pipinus devicit et tributarios fecit. Non multo post Guifarum magnum Aquitanie ducem prelio pressit et obsides dare coegit. Iterum dux Guifarius ab Aquitania, Thassilo etiam dux a Baguaria incipiunt rebellare. Pippinus post diversa prelia Guifarum interfecit. Thassilonem quoque sufficienter oppressum subiugavit. Deinde Turonis infirmatur Pipinus, et Parisius deportatus, anno 14. a die qua in regem unctus est, anno vero ex quo post patrem suum accepérat principatum 24. diem obiit, relinquens duos filios, Karolum et Karlomannum. Cetera versifice pagina nostra refert.

Item de eodem versifice narramus.

Dum putat Astulfi scelus evasisse senatus,
Rex Lombardorum mox ad graviora paratur,
Nullaque iam requies eius ab arte datur.
Papa sub Astulfo queritur tormenta moveri,
Vita petit cleri Pipini more tueri:
Si modo tardus erit, Roma repressa perit.
Alpibus evectus celeri Pipinus yhatu,
Milite congreditur; Astulfus marte fugatus,
Urbe sua clausus, querere pacta datur.
Iurat, et obsidibus sua questio tota ligatur,
Ammodo si papa Lombarda peste gravatur,
Auferat obsidibus regia pena caput.
Pace reformata, Petro datur hostia grata,
Francia Bracata loca visitat illa beata,
Et reddit in patriam, pace manente rata.

52. *De exaltatione Desiderii regis Lombardorum et de Rachisio adversario eius.*

Astulfi regis dum vita die breviatur,
Rachisius frater monachus regnare paratur,
Cui Desiderii pars inimica fuit.
Divisis populis, et regibus hiis tribulatis,
Arma premunt armis, et pluribus inde necatis,
Oppositis cuneis pugnat uterque satis.
Nunc Desiderio Stephanus dat papa favorem,
Iurat et ille sibi, non ledere prorsus honorem,
Quem super Italicos papa tenere solet.
Rachisius cedit monachus, pars altera sedit,
Gens Ligurum Desiderio reverenter hobedit,

Rara fides Liguris; violat rex federa pacis;
Federis ante dati iam nexibus evacuatis,
Concutitur gratis papa dolore satis.
Hec ubi Roma sapit, doluit rebus variatis,
Stat quasi fracta ratis vel preda parata piratis,
Undique quassatis rebus et igne datis.

EXPLICIT PARTICULA XXII. INCIPIT PARTICULA XXIII.

1. *Karolus Magnus erigitur in regnum Francorum, mortuo Pipino.*

Anno ab incarnatione Domini 768, imperante adhuc in Grecia Constantino quinto, Karolus Magnus, filius Pipini Nani, regnum dividit cum fratre suo Karlomanno, et incipit regnare. Iste primo loco Hunaldum, qui, occiso duce Guaifario, bellum in Aquitania renovabat, ad Lupum ducem Guasconie fugavit, et postmodum tam ipsum quam Lupum in deditio accepit. Inde sequenti anno in Guormatia generali curia celebrata, limina apostolorum causa orationis visitare disponit. Anno tertio regni eius Karlmannus, frater eius, moritur, et uxor eius cum filii ad Desiderium regem Lombardorum confugit. Karolus itaque iam solus regnum adeptus, Saxoniam cum exercitu ingreditur, omnibusque ferro et igne vastatis, acceptis obsidibus, revertitur. Dehinc rogatu Adriani pape Italiam ingreditur, et Desiderium Longobardorum regem Ticini obsidione inclusit. Ibique dimisso exercitu, Romam orationis gratia pergit. Inde reversus, urbem [Papiam] fatigatam ad deditio compulit regemque captivum abduxit [cum uxore et filia]. Inter hec Saxones, absentia regis elati, fide postposita, contigua terre sue loca depopulantur. Porro rex, subacta Italia, reversus in Franciam, tripartito ordine militum Saxoniam ingreditur, incendiisque vastata terra, predam immensam diripuit, et non multo post regressus, denuo ab eis obsides accepit. His diebus Constantinus persecutor 35. imperii sui anno mortuus est, eique filius suus Leo successit, et Grecorum monarchiam per sex annos satis debiliter tenuit in Grecia.

2. *De Leone imperatore Grecorum, et cronica ipsius temporis.*

Anno [igitur] ab incarnatione Domini 776, Leo, 66. ab Augusto, imperium Grecorum accepit. Hic primo visus est mitior; unde et principes filium eius imperatorem postulant. Per idem tempus Saxones, more suo non semel, set sepe pactum mentientes, Karolus diversis preliis pressit, ac plurimis ex eis fidem christianam accipere persuasit. Porro Leo imperator 5. imperii sui anno moritur.

Cetera versifice gesta referre placet.

3. *Item de Pipino et de generatione ipsius versifice narramus, et quomodo Karolus vocatus est in auxilium Romane ecclesie in Ytaliam.*

Pipinus moritur, consurgit Karolus acer,
Natus in Ingeleheim, cui Berta fit Ungara mater

Pipinusque pater: cronica vera patent.

Dupla fuit iuveni mensura pusilla parentis,
Maior erat probitas, species, audacia mentis,
Fama fuit celebris, gloria multa nimis.

Nunc moritur Stephanus memoratus papa secundus,
Annis quinque suo viguit sub docmate mundus,
Insuper in finem pertulit octo dies.

Tertius accedit Stephanus Rome venerandus, Quem Desiderius perturbat ubique tirannus,
Temporis exigui vir modo papa fuit.

P. 209 v. 36 post nimis addit A:] Uxor ei Desiderii fit filia regis,
Quam cito desprevit, patrem quoque marte subegit,
Sicut in hiis titulis cronica scripta legis.

Quae postea delevit B1.][Page 210]

Nam tribus hic annis et menses quinque resedit,
Ter senos superaddo dies, quibus ipse recedit.

Cui Desiderius tempora torva dedit.

Erigitur post hunc Adrianus papa beatus, Cui Desiderius perturbat pontificatum.

Hic et opem Karli pressus ubique petit.

Vixit Adrianus viginti quatuor annis,
Addo decem menses denosque dies numerandos,
Insuper et septem sic superaddo dies.

Karolus egregius papalia scripta re legit.

Scribit ei papa mala que Lombardus adegit,

Et petit, ut Christi conferat arma gregi.

Francorum proceres pariter cum rege rogantur,
Ut simul ecclesiam virtute sua tueantur,
Actaque Pipini commemorantur ibi.

Fertur ad hec procerum sententia talis haberi:

Si velit ecclesia Francorum marte tueri,

Karolus imperio preficiendus erit.

Nam labor est vacuus sic Italiam superari,

Ni maneat princeps, qui possit ei dominari,

Gestet et imperii iura colore pari;

Qui tenet archiva, que sepe cadunt recidiva,

Tempora passiva sibi sunt, set pauca dativa,

Nam mala castigat, nec tamen ipsa ligat:

Sit rex Francorum Rome dominus dominorum,

Imperium teneat, terram premat Italicorum,

Atque super Danaos auferat omne solum.

Regis opem precibus dum Roma per omnia querit,

Dum petit ut patriam dignetur ab hoste tueri,
Dicit, ut imperium tollat ut alter heri.
Rex ait: *Ytalicos ego rennuo ferre labores*,
Ni simul Ytalicos habeam constanter honores,
Qui michi si fierent, pax valitura foret.
Prelia Pipini perpendo mei genitoris,
Quanta super Ligures probus intulit arma doloris,
Nec tamen abstinuit turba renisa dolis.
Non valet Ytlica sine principe terra teneri,
Si requiem cleri cupitis sine rege tueri,
Qui fuit error heri, cras quoque maior erit.
Nil valet archatus, dum nullus eo dominatur;
Nec valet imperium, nisi cesaris ense regatur,
Subiectam patriam regia norma parat.
Roma potens viguit, dum cesar in Urbe resedit,
Publica res crevit, gens Ytala pace quievit,
Terra suis dominis digna tributa dedit.
Tempora que memini si Roma cupit reparari,
Aut Desiderii regis scelus evacuari,
Expedit imperii que peto iura dari.[Page 211]

Rex ubi verba dedit, populus petit arma moveri,
Iura sui cleri petit, optat et ipse tueri,
Nam Desiderii Roma furore perit.
Curia Francorum precibus consentit eorum,
Tollat ut imperium victoria Teutonicorum,
Stringat et Ytalicum fiscus ubique solum.
Signa movent proceres, rex precipit arma parari,
Transit et ad Ligures, quibus ammodo vult dominari;
Set Desiderius prelia dira parit.
Campus apud Ligures Mortaria rite vocatur,
Rex ubi congregitur, Ligurum pars victa fugatur,
Sic Desiderii copia terga dedit.
Pro nece multorum, que facta fuit, populorum
Dicitur illorum Mortaria nomen agrorum,
Qua peregrinorum stat modo grande forum.
Tunc duo consocii meritis vitaque beati,
Amis et Amilius parili sunt marte necati;
Karulus hiis tribuit digna sepulcra satis.
Obsidet egregiam modo rex cum rege Papiam,
Et iubet ut gladiis Francorum subdita fiat,
Reddit et ecclesie que male rapta tenet.
Urbs nimis obsessa dolet, igne fameque repressa,
Vulnere defessa, Lombarda superbia cessat,
Et licet invita, clausa remansit ita.
Dux ibi mirandus tenuit vexilla Rollandus,
Sic et Oliverius sotia probitate notandus,
Hos pro rege duces tunc habuere truces.
Visitat interea regina potentia Romam,
Nec modo cesaream voluit captare coronam;
Orat, et ad Ligures signa reversa volant.
Karolus Ytaliam, postquam remeavit ab Urbe,
Visitat et superat fiscoque subesse perurget,
Reddit et ecclesiis predia digna suis.
Rex Desiderius, quem marte recluserat intus,
Traditur exilio pariter cum coniuge vinctus,
Cuius Aquisgrani carcere vita cadit.
Dum Desiderium regem rex Carolus angit,
Ante ducentenis et quinque fluentibus annis
Ytala Lombardis subdita terra fuit.

P. 211 v. 10 post vocatur *in marg. add. B1 manu 2:]* (N)ota, quod fuit bellum (ap)ut Mortariam (int)er Karolum et (De)siderium.
(Est) autem locus (iste) inter (Pap)iam (et V)er(zellas).

P. 211 v. 36 post cadit *addit A:]* Vixit Adrianus viginti circiter annos
Atque duos ultra mensesque duos numerandos,

Insuper in fine bis tunc octo dies.

[Home](#)

Gotifredus Viterbiensis. Date: 2008-01-12